6
39-e
40

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 G
1



40

Digitized by Google

XXXI·6·15

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



de Lairesse delin.

F. v.d Berge Sculp.

JOACH. VICOFORTII,

Ordinis S. Michaëlis Equitis, Sereniſſ. Haſſiæ Landgraviæ cum à Conſiliis, tum ad Præpotent. Ordines Fœderati Belgii Ablegati, &c.

EPISTOLÆ


AD

GASPARUM BARLÆUM

V. CL.

Cujus Reſponſoriæ etiam inſertæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELÆDAMI,
Apud GEORGIUM GALLET,

M. DC. XCVI.

Digitized by Google

Digitized by [illegible]



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOBILISSIMO JUVENI

D. GERARDO

VAN

PAPENBROECK,

Amico meo dilectiſſimo.

HUnc *Epiſtolarum Libellum, non uno nomine Tibi debitum, honori*

★ 2 *me-*

meritiſque Tuis ex animo dedico. Amore in me Tuo, de quo ut Illuſtriſſimi Juvenis, Nobilique genere nati, non parum glorior, fateor me Tibi eſſe devinctum. Ergò in amoris viciſſim in Te mei, gratique animi ſymbolum, hoc opuſculum apud Te depono, & neceſſitudinis inter nos majoris conciliandæ gratia Tibi dedicatum, gratiſsimum fore confido. Cuinam enim convenientius

& jure quidem majore, quam Tibi debeatur? Tibi dico, cui me multorum officiorum debitis obligatiſſimum eſſe profiteor, quem de harum Epiſtolarum Scriptore Nobiliſſimo ſæpius cum tanta laude loquentem audivi, quique talium deliciarum ſtudioſus adeò ſemper fuiſti, & tot eruditorum Virorum Epiſtolas ineditas in Bibliotheca Tua ſervas ac colligis,

gis, ut vel hinc acri ingenio ſagacique judicio Te eſſe, palam ſit omnibus. Si non & aliæ legitimæ rationes, amicitia ſaltem, qua me dignaris, atque in optimarum litterarum ſtudiis indefeſſa diligentia Tua, quam ipſam præſentis, & in futurum majoris etiam eruditionis Tuæ nunc habeo teſtem, juſtiſſimam Te adeundi cauſſam mihi præbuiſſent. Ergò nihil eſt, cur diſplice-

re

re Tibi hoc benevolentiæ in Te meæ exile quamvis munuſculum, verendum mihi ſit. Siquidem & ſingulis quibuſque acceptiſſimus etiam, quum Scriptorem reſpicimus, hic Liber eſt futurus. Verum alios quid moror, modo Tibi uni non ſit ingratus, mihi ſatis ſuperque futurum eſt, qui illum clariſſimo Tuo nomini inſcriptum, Tibique conſecratum volui. Tu quidquid id eſt boni conſulas, meque, quod facis, ſine fraude

ut

utamare pergas, rogo. Dabam Amſtelædami, octavo Id. Aprilis. M.DC.XCVI.

Nobilitatis Tuæ

Studioſiſſimus

PETRUS HUGUETAN.

LEC-

LECTORI BENEVOLO.

HAbes hic, Lector, Nobiliſſimi Viri Joachimi Vicofortii, Ordinis S. Michaëlis Equitis, Sereniſſ. Haſſiæ Landgraviæ à Conſiliis, &c. ad Gaſpar. Barlæum V.C. Epiſtolas. De Authore non opus eſt quid dicere; omnibus enim ſatis notum, Virum fuiſſe ingenio non minus, quàm dignitatibus illuſtrem, Doctorum Hoſpitem, Humanitatis genuinum exemplar, ac intimam coluiſſe amicitiam cum ſummis Viris Grotio, Hoofdio, Hugenio, Mylio, Voſſio, Barlæo & aliis, qui ſæculi ſui ac litteterarum ornamenta fuere. De Epiſtolis paucis Te volo: nunc primum ex Autographis in lucem prodeunt, & in hunc uſque diem latuerunt apud Nobiliſſimum quemdam meum Amicum. In cujus Bibliothecâ cum inter alia doctiſſimorum Virorum Autographa ſervatas haſce

Vi-

Vicofortii ad Barlæum Epiſtolas perluſtraſſem, ſeriò exinde rogavi, ut mihi publici juris facere eas liceret, ac tandem impetravi. Argumentum quod attinet, quædam ſunt politicæ ac res aliquas ſingulares, tunc temporis in Europâ geſtas, ſummâque cum elegantiâ enarratas continent, venuſtatum aliæ, jocorum ſaliumque plenæ & intimam familiaritatem, cum Barlæo per multos annos cultam, præferunt. Sed de his, erudite Lector, Tuum eſto judicium. Viri Clariſſimi Gaſpari Barlæi Epiſtolas Reſponſorias, quotquot à nobis reperiri potuerunt, ſuis quaſque locis inſeruimus, ut quidquid illuſtriſſimo Vicofortio foret repoſitum, ſtatim innoteſceret. Hæc ſunt, Benevole Lector, de quibus Te monitum volui: Tu ergo Epiſtolis hiſce utere, fruere, ac gratulare mecum, quod erudito Orbi à Nobiliſſimo meo Amico conceſſæ ſint. Vale.

VII-

VIRI CELEBERRIMI

GASPARI BARLÆI

Ad Nobiliſſimum Virum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CONSTANTINUM HUGENIUM

EPISTOLA:

Quæ de VICOFORTIO *teſtimonii loco eſſe queat.*

QUi has Tibi literas offert, Nobiliſſime Hugeni, vis ſcire ecquis ſit? nondum dicam. Ubi natus? ubi morimur omnes. A quibus educatus? ab Apolli-

A ne

ne, Muſis & Gratiis. Quo lacte? veritatis, comitatis, elegantiæ. In quo gymnaſio? bonæ mentis. Quo ſeculo? quo orbi imperat ignorantia, ambitio, avaritia. Qua æra? anno à Moriæ natalibus inobſervabili. Ubi habitet? ubi non Nitzliputzli Mexicanorum Deus, ſed nummus pro idolo eſt. Ad quod flumen? in quo delituli excrementa ſua comedunt in anguillis. Ad quod inſigne? Aratri cui nullus inſudat Taurus. Vis & ſcire, quid agat? fovet bonis. Quid non agat? nulli maledicit. Quid ſit? Legatus meus à latere. Quid non ſit? Pater. Quid amet? virtutem. Quid non amet? aulam. Quid calleat? ſorte ſua eſſe contentus. Quid neſciat? fallere. Quid queat? pluribus prodeſſe. Quid metuat? amicorum offenſam. Quando doleat? cum gaudent improbi. Quando gaudet? cum non dolent probi. Quot calleat linguas? unam, ſimplicitatis & candoris. Quas oderit? adulatoriam & ſugillatoriam. Quæ illi deliciæ? Romanorum & Græcorum. Quid noviſſimè in illis amet? antiquiſſima. Qualis ſit in foro? minùs credulus. In Templo? cum ratione. In conviviis? officiociſſimus. In Aula? metuens futuri. In

cubi-

cubili? neſcio. Vis & ſcire, quam merca- turam exerceat? lucrandi bonos. Quis numeret? virtutes tuas. Quid ponderet? beneficium acceptum. Quo ſe pede metiatur? ſuo. Quo ſit vultu? ingentio. Quo ſupercilio? null. Quibus oculis? probis. Quo pectore? apesto. Quali inceſſu? modeſto. Quo habitu & veſtitu? quo ocreati Achivi incedebant. Vis jam ſcire, quis ſit? dicam. Vicofortius eſt tui meique ſtudioſiſſim & amantiſſimus. Vale & nos ama. 25. Decembris 1635.

I.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Viro Ampliſſimo & Clariſſimo D. GASPARO BARLÆO. M. D. & *Profeſſori*.

TU Vir CL. gratias mihi agis ob conceſſam ſtateræ Puteanicæ lectionem.

At ego ingenti me beneficio affectum credo, quod bonas horas tantiſper impenderis. Abſque illâ, enim, elegantiſſimâ tuâ epiſtolâ, ſimul judicio tuo caruiſſem, quo præſtantius dari non potuit. Bonus ille vir Puteanus, ob liberas iſtas voces, vereor, ab Hiſpanis luet: nam Bruxellas jam pridem vocatus dicitur, & ſtatera illa per Brabantiam prohibita & conquiſita. Deſiderium pacis, quo ille atque omnes ferè Belgæ diuturni belli tædio, & melioris ſtatus deſperatione trahuntur, indubiè hoc ſcriptum ab erudito illius calamo extorſit: doctum ſane, ut ais, acutiſſimum, ſed (quod authori plurimum obeſſe poſſet) Hiſpanis odioſum. Toto enim ſcripto non agit, quam ut Regis ſui impotentiam, noſtram autem potentiam clarè ob oculos ponat, atque ultrò confiteatur pacem nobis ſaltem expedire, hoſtibus verò neceſſe eſſe. Faxit Deus, ut ſalutaria omnibus eveniant. Salve vir amiciſſime, & me amare perge 25. Junii 1633.

T. Omni ſtudio addictiſſimus
JOACH. à WICKEFORT.

I I.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Lèydam.

CLariſſime atque Amiciſſime Vir,
Jam in procinctu eram, ut Hagam cum uxore me conferrem, cùm litteræ mihi tuæ redderentur: ſed fecerunt illæ, ut profectio in diem Sabbathi proximum fuerit rejecta; ita tamen, ut Leydæ in via te conveniam, & quid facto opus tecum deliberem. Cùm enim quid negotii Hagæ ſit expediendum, vix mihi conſtat, an humanitati Ampliſſimi Overbequii, veſtro deſiderio, & votis quoque meis ſatisfacere queam. Uxor etiam parum ex dignitate eſſe arbitratur, ſi poſtliminio adventitii inter nuptiales adſidere præſumamus. Hæc, quæſo, inter nos maneat. Ego tamen huic ſententiæ prius non adſentiar, quin tuam perceperim. Scias enim velim, negotium hoc à prudentia & conſilio tuo potiſſimùm dependere. Vale, Vir amiciſ-

 ſime,

ſime, & ſalve plurimùm cum uxore à nobis omnibns. Dabam Amſtelodami 21. Julii 1b633.

Tuus omni ſtudio
Joachimus à Wickefort.

Niſi grave eſt, ſalutabis meo nomine Ampliſſ. Overbequium, & lectiſſ. ipſius Conjugem, D. Kinderlingium, Clariſſ. Cunæum præcipuè, atque alios noſtri amantes.

III.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Leydam.

CLariſſime Vir atque Amice maxime, Ut ſcias aulicarum artium planè me eſſe rudem, conſtitui tandem craſtino die rectè Alſenum proficiſci, abjectâ priore ſententiâ atque omnibus cæremoniarum ſcrupulis, quos uxor allegarat. Hæc te ſcire volui, ne fruſtra nos Leydæ ex-

pec-

pectes. Si quid tamen conſilii interea ſuggereris, illud imprimis ſequendum exiſtimamus. Vale V. C. & ſaluta uxorem tuam noſtris verbis, & quicquid ibi amicorum eſt noſtri amantium. Dabam raptim Amſtelodami 22. Julii 1633.

T. antiqua Fide
Joach. à Wickefort.

IV.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

VIr Ampliſſime,
Ex quo à nobis diſceſſiſti, omnia hîc frigent, aër, ſtudia, amici. Aëris inclementiæ oppono foci luculentioris beneficium. Studiorum inertiam, quam bruma adfert, ſolor poëticis digreſſionibus, quas non ſtudiis, ſed luſibus annumero. Amicitiæ frigus à tua eſt abſentia, qui amicorum plurium hic ſoles eſſe coagulum. At huic incommodo occurrendum litteris, quæ cùm abſente te loquantur. Jam Haga te habet, rerum quæ hîc & alibi geruntur, proma conda.

Illic inter aulicos ambulas, prandes, cœnas. In tanta felicitate mirum ſi vacet mei recordari. Ego iſtos aulæ ſplendores vel hoc ſolum nomine odi, quod ſuaviſſimum conſuetudinis tuæ fructum mihi eripiant. Expecto, ut propediem ad nos redeas, ut in ſinum noſtrum effundas horribilia imperiorum ſecreta. Propius jam Deos contingis, ut ſi rerum publicarum ſatagere libeat, ſcire poſſis, quid Rex Reginæ in aurem dixerit, quid Juno fabulata ſit cum Jove. Intelligam ex te quantum à Gallo, quantum à Veneto expectandum bellis noſtris præſidium: Hic poſt ridiculum iſtum mercatorum caſum novi accidit nihil. Qui imperant, novos ineunt & anniverſarios magiſtratuum cenſus. Qui parent, antiquum obtinent. Alii rem faciunt, alii frangunt, alii Biantis exemplo Vianam ambulant, & cum æris egent, Cappadocum ſibi reges videntur. Hiſtoriam de Presbytero Planco domi ex tuis intelliges. Piget enim, cucullatos iſtos doctores in ſcenam producere, nec traducere quemquam eſt moris mei, quoad de facinore non planè conſtat. Vale. 4. Feb. 1634.

V.

V.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

Citius ad te ſcribere, Vir Clariſſime, per ſalutationes atque alia officia non licuit, iis cùm ex parte ſatisfactum ſit, non poſſum, quin erga amiciſſimum meum Barlæum fidem meam liberem. Scias itaque hic omnia ad bellum ſpectare. Apparatus nunquam majore cum diligentia facti; quicquid ad rem tormentariam pertinet hodie Dordracum tranſmittitur. omnibus & ſingulis belli Ducibus, Princeps juſſit ut ad præſidia ſua ſe conferant, præcipuè Gallis & Anglis. Friſiorum pleræque legiones Arnhemum verſus tendunt, plurimæque copiæ verſus Moſam. Quo multi arbitrantur, exercitum à Pinſio in iſtis locis coactum iri, vel ut conatibus hoſtium præveniat, vel conſilia eludat. Quas enim legiones ex agro Lutzenburgico

moviſſe audivimus, expeditioni, quam Marchio d'Aytona minatur, magis deſtinatæ creduntur, quam ut impetum in Weſtphaliam faciant. De Palatini Neoburgici delectibus omnia infauſta hic metuuntur. Ordines ut periculum declinent, Arnhemium & Ripperdam delegatos ablegarunt Duſſeldorpium hiſce mandatis, ut Neoburgus milites ſuos quamprimùm dimittat; ſecus ſi fecerit & neutralitati vis fiat, non inultam iri temeritatem. Sueciæ Legatus hodie ab Ordinibus ad colloquium admiſſus, orationem latinam habuit, quam tamen audire non contigit. Bruxellis ſcribunt, Barbanzonium Principem & Grammontium Burgundum cum Manriqueſio & Borgia Hiſpanis ſingulari certamine pugnaſſe, quorum primus & ultimus graviter vulnerati dicuntur, ſecundus autem interfectus. Diſſidium ex contumelia natum narrant cum in auctione ſupellectilis Infantis Iſabellæ, Vidua Inigi de Borgia vaſa quædam Porcellana contra Barbanzonium emere cupiens pretium in immenſum extolleret, atque ille indignatus augeri pretium illam dixerit ac ſi ebria eſſet. Impotentis enim animi fœminam adeò

exar-

exarſiſſe, ut Petrum Manriques Turmæ Equitum ductorem læſi honoris vindicem imploraret, addito in periculi conſortium juniore Borgia filio unico. Quam conditionem Manriques protinus accipiens Barbanzonium provocavit. Qui & ſtatim aſſumpto Grammontio in campum deſcendit. Ubi poſt brevem dimicationem vulnus in capite accepit, ex quo ſanguis largiter defluens totam faciem obruit, & periculo vitæ, quod Hiſpanus interminabatur, expoſuit. Sed famulus qui adſtabat ſuccurrens Hiſpanum confodit. Borgia quoque interea à Gramontio lethaliter vulneratus eſt. Conſtantinopoleos litteræ indicant ſumptum illic fuiſſe ſupplicium de 80. Polonis. Purpuratum quemdam Tyrum, Sidonem & urbem Sancti Joannis d'Acre incendio penitus vaſtaſſe. Et quod omnem barbariem ſuperat, ipſum Imperatorem diverſoria & tabernas perambulare, obviumque quemque interficere, quem herbam noſtram ſanctam ſumentem deprehenderit. Plura per adſtantium turbas non licet, nec etiam meliora. Quapropter & ruditati & brevitati ignoſces vel potius rudi-

prolixitati. Dabam Hagæ 27. Februar. 1634.

T. ad omnia officia paratiſſimus
Joach. à Wickefort.

Lectiſſimam Uxorem tuam meis verbis, ſi placet, ſalutabis.

V I.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

AMpliſſime Vicoforti,

Traditæ mihi ſunt literæ tuæ media nocte hora duodecima. A qua diem ſuum auſpicantur Ægyptii ſacerdotes. Nec tamen credas velim, me in iſtud tempus traxiſſe ſtudia. Odi lucubrationes, utpote valetudini noxias, nec gratas conjugi quæ mihi pro legata à latere eſt. Exceperat nos ſolemni epulo Nobil. Realius, à quo abire non licuit, niſi intempeſta nocte. Et quanquam pluſcu-

pluſculum aſperſus eſſem Lyceo, nolui ire cubitum, niſi lectis tuis literis. Quæ adeò placuerunt, ut pulvinari ſuppoſitis indormiverim ſuaviter. Ita tu mihi, loquor tropicè, pro culcitra fuiſti. Feci divortium cum uxore, quæ mihi peperit non gemellos, uti Latona, ſed unum inſtar gemellorum. Non puto robuſtiorem fuiſſe Herculem, cum in cunis vagiret & immiſſos à noverca angues ſtrangularet. Videtur infans cum Gallis bella probare non inducias. Nam clamat & vociferatur, quod proprium eſt bellaturientium. Magnas turbas dat regno noſtro. Adultum auderem iſtis mirmillonibus Barbanzonio, Gramontio, & Borgiis opponere. Audivi inter Gallum & Fœderatos Ordines jam conveniſſe. Quibuſdam iſtud conſilium placet, quibuſdam diſplicet. Ego, mi Vicoforti, in rebus fidei acquieſco decretis Eccleſiæ univerſalis, in rebus politicis decretis Ordinum & Principis. Volo enim mihi deberi & hominis Chriſtiani, & boni civis titulum. Vale & Zulichemi Dominum ſaluta. 10. Mart 1634.

V.

V.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

CLariſſime & Amantiſſime Vir,

Fecit abſentia tua heri, ut participem te facere non potuerim eorum, quæ amici ex Gallia & Germania non modio aut trimodio, ſed ipſo fere horreo ſunt admetiti. Igitur jam illa accipe: Ex Gallia legationem valdè honorificam ad Aurelianenſem Ducem, qui podagra Aureliani laborat, inſtitutam ex octo Theologis & duobus Politicis, inter quos Pater Joſeſephus & Bothilerius Regi à ſecretis eminent, compoſitam, ut pondus matrimonii cum Margarita Lotharingia nuper contracti examinent, diſſolutionem propo-

nant

nant & aſſenſum ipſius rationibus eliciant. Ardua quidem res & periculoſæ plenum opus aleæ: nihilominùs Ducem reniturum non putant, & ſi quà ſcrupulus obſit, facilè ablatum iri à Puylaurentio qui aliter ſpe opima excidet matrimonii cum Ponte-Caſtellana Richelii nepte, donationis centum millium lib. & dignitatis Ducalis, quæ omnia ipſi ſunt promiſſa. Cardinalis Lugdunenſis hoc fine quoque creditur Romam ablegatus, ut Curiæ Romanæ & Pontificis approbationem obtineat. Hic publicæ lætitiæ ſigna dare voluit ob Ducis reditum in Galliam, & cum fratre reconciliationem, accenſis per Vrbem ignibus & gratiarum publicis actionibus ſolemni iſto cantu *Te Deum laudamus*. Iſtud quidem non minoris momenti negotium mihi videtur, quod Rex Tribunal, quod Abſolutum Conſilium vocant, Nanceii conſtituerit, & Ducis Lotharingii ſubditos Eccleſiaſticos æque ac ſeculares ad juramentum fidelitatis & obedientiæ adegerit. Sanè infenſiſſimum bellum hinc oriturum conſtat, cum Auſtriaca domus nihil intentatum relinquet, quin devinctiſſimum ſibi Principem reſti-

tuat.

tuat. A Claſſe Hiſpanâ quâ Sanctæ Crucis Marchio ex Meſſanenſi portu ſolvit, nihil amplius Galli ſibi metuunt, cum Provinciæ ora jam optimè contra omnem vim & invaſionem ſit proviſa. Germanorum Legati Pariſiis jam diſceſſerant cum omni ſatisfactione, atque hos articulos à Rege obtinuerant. I. Regem Proteſtantibús duodecim millia peditum ſuppeditaturum. II. Quotannis daturum decies centena millia librarum. III. Oxenſternium cum Conſilio Formato directionem habiturum. IV. Ducem Vimarienſem exercitus imperium. V. Fequierum Regis Legatum interventurum in Conſilio. VI. Non initum iri pacem, quin Rex comprehendatur. Cætera ſunt horribilia ſecreta. Hæc quidem propenſiſſimam Regis voluntatem in Principes & Germaniam demonſtrant, & egregios conatus. Non puta tamen directe aliquid moliturum contra Cæſarem. Protectionem ultra Rhenum non extendi ex eo liquet, quod Hanonius Comes, qui ſe ipſum hoc fine in Galliam tranſtulit, eam obtinere non poteſt. Cæterum copias Regis circa Spiram & Vormatiam me-

metatas, ut Duci Bernhardo in omni occaſione ſupradicto auxilio præſto ſint. Hic quidem res ſuas ita diſponere, ut brevi moveat. Pariſios quoque Helvetiorum Fæderatorum Legati venerunt, Bernatum ſcilicet, Tigurenſium & Schafhauſianorum, ſubſidia & auxilia imploratum contra Pontificios. Rumor etiam percrebuerat Rhætos à Gallorum partibus defeciſſe, atque ob eam cauſam Candalium Ducem à Rege illuc miſſum, ut in ordinem redigat. Hæc fere ſunt, quæ te ſcire volui. Cætera coram. Interea excuſabis tumultuariam ſcriptionem & me amabis. Vale Vir clariſſime & ſalve cum Uxore. Raptiſſimè 20. Novemb. 1634.

VI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

AMpliſſ. Vir & Amiciſſ. Compater, Si ſalvus & incolumis tuis redditus es, gaudeo & gratulor. Nos omnes rectè valemus, & aliquando ſolles noſtros defæcatiore animo curamus Britannicis oſtreis, quam non Germani ſuos, fungis & limacibus. Francofurtenſibus quidem viæ, ab hoſtibus ita interclusæ ſunt, ut quatuor Colonienſes nuntii ordine venerint abſque illorum litteris. Et ſi verum eſt, quod à peregrinantibus refertur, Henchſium ditionis Moguntiacæ oppidum inter Francofurtum & Moguntiam ad Mænum ſitum à Cæſareanis fuiſſe interceptum, & cives iſtos in magnum diſcrimen adductos video, & res Oxenſternii eo loco eſſe, ut alias ſedes brevi ſit quæſiturus. Ex Gallia omnia læta nunciantur. 28. Novembris Nuptiæ trium Neptum Cardinalis Richelii, quæ Duci Valettæ, Comiti Guichio, & Puilaurentio

tio deſponſatæ fuerant, celebratæ fuerunt, & quidem majore pompa & apparatu, quam non Adami & Evæ. Unicuique ſponſæ menſa ſtructa fuit viginti quatuor hominum capax. Pro quibus ſingulis apparitoribus vel Agoramomis numerata fuerunt octo Francorum millia. Nec tamen credo inter exquiſitiſſima fercula recentiores oſtreas comparuiſſe, quam nos non ita pridem devoravimus. Hoc lepidum & facetum eſt, quod cum cæteri ſponſi octoginta Coronatorum millia pro dote referrent, Guichio Comiti viginti ſuperaddita fuerint, quod ſponſam pulchriorem Puylaurentio ceſſerit, Dux Aurelianenſis repudio ſubſcripſiſſe dicitur, vel ſecundum alios arbitrio Pontificis totum negotium commiſiſſe. De rebus Germaniæ Galli jam ſeriò deliberant, nec tamen conſtitutum videtur, quouſque arma extendi debeant. Sunt qui judicant non eſſe transferenda Rhenum, ſed ſaltem loca iſta, quæ cis flumen ſita tutelæ titulo eſſe conſervanda. Cæterum Duci Bernhardo Vimarienſi exercitus imperium attribuitur, ut & Oxenſternio Conſiliorum Germanicorum, quam vocant, directio; quam tamen

men tractu temporis & ſenſim Galliæ Regis in manus dari video. Cum reverentia illius unà cum fortuna fere cadat, atque hujus præcipuè accreſcat ob beneficia, quæ unuſquiſque expectat. Sunt jampridem Proceres Tribunitia dignitate ab ipſo aucti & ad majora adſpirant, quod erit ingens adfectus & benevolentiæ vinculum. Vale, Vir Ampliſſime, & me amare perge. 6. Decembris 1635.

T. ex aſſe

Joach. à Wickefort.

Saluta, ſi placet, Uxorem & familiam.

IX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Factum conſulto, Ampliſſime Vicoforti, quod dies aliquot ſine meo alloquio tranſire paſſus fuerim. Dum enim juſta optimo parenti ſolvis, dum exequias

quias celebras, mortuum efferſ, dum recens dolor ſtupet, & ſolamina vix admittit, diſtuli ea ſtyli officio deſignare, quæ in animum tuum ſimul ac meum (unus namque is ambobus eſt) effundere decreveram. Amiſiſti Parentem in terris, quem beatior aliquando ſalutabis inter ſuperos. Deſeruit ille mundum hunc ante te, quem intraverat ante te. Ut jam nec de morte, nec de ordine conqueri poſſis. Satur hujus ſcenæ ad ea loca ivit, ubi eadem ſemper erit nec mutabilis cœleſtis ſcenæ facies. Ubi opes caducas & ſtuxas æternitate, vitam fragilem immortalitate, famam denique civis boni divinis honoribus commutavit. Deceſſit hinc vitæ tuæ olim dux, morum magiſter, & pietatis inter ſuos domeſticos doctor. Ideoque levior tibi debet eſſe ejus mors, ex cujus vita fructus percepiſti uberrimos. Feliciter exceſſit, te ſuperſtite. & fratribus ſororibuſque tibi junctiſſimis, in quibus renaſcitur indies, & eas vidit gliſcere virtutes, quibus vivus maximè excelluit. Non jam ægritudo tua franget ægrum, non affliget tua calamitas imbecillem, non dolebit

bo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ob dolores tuos, nec mors tua funerabit ſenem tui amantiſſimum. Bene ſecum actum putavit, quod liberos genuerit ſibi, Chriſto, Virtuti. Sibi in auxilium & oblectamentum, Chriſto in peculium, Virtuti in exemplum. Vixit, quantum per humanam imbecillitatem licuit, pie, caſte, ſobrie. Nec obiit alius, quam vixerat. Quæ monita pater quondam dederat filiis, ea moriens avus dedit nepotibus. Uſque adeo, ut cum loquentem deſtitueret fracta naturæ vis, voces tamen extuderit integra religjo, quæ tunc in ſene & pro ſene verba fecit, nec de rebus terrenis loqui paſſa fuit cœlo Deoque proximiorem. Quam hæc fuit ſuavis, quam pretioſa apud Deum, quam plena ſolatii mors, in qua moriens cum Creatore ſermones habuit, & de Redemptore ſuo loqui maluit, quam de mundi hujus, quæ plurimos occupare ſolent, quiſquiliis. Salutari cataſtrophe abſolvit vitæ hujus Actus. Laudabili Epilogo deſiit eſſe facundus; & poſtquam de ſalutis ſuæ momentis peroraſſet, deſiit in pium *Dixi*. Vix ſpatii quicquam

quam interceſſit inter loquentem & morientem. Quia enim ad Deum ſuum & patrem ibat, cogitationibus ſe divinis implevit. Ita mori, mi Vicoforti, eſt uıD ominomori. Ita mori, eſt novam ac meliorem vitam ordiri. Sic diſcedendo acceſſit ad eum, cujus ſanguine eſt redemptus, ſpiritu ſanctificatus, verbo regenitus. Non illum avaritia, non ambitio, non ſæculi præſentis faſtus aut ſordida voluptas tranſvorſum rapuit, licet ad has mundi phaleras generis humani cœca cupiditas obſtupeſcat. Simplicitate, candore, religionis ſincero ſtudio, occupationibuſque honeſtis ſe totum involvit. Reliqua mortalis ævi ſtudia, impedimenta eſſe credidit mentis in cœlos profecturæ, & remoras in pietate proficientium. Gratulare potius ſic mortuo, ac beatitudinem è longinquo illi apprecare, cujus præludia etiam hîc in ærumnarum valle poſitus in ſe ſenſit. Sunt ea, tranquillitas gaudiumque animi, pax cum Deo, guſtus deſideriumque futurorum bonorum. Vidimus aliquando ſedentem, ſcribentem, vidimus ambulantem. Sed dubium, an vivum

an

an mortuum: an hominem, an umbram hominis. Adeo jam tum cum vita & morte pepigiſſe videbatur, ut in uno corpore, eoque exſucco pene & exangui, ſimul habitaret aliquid utriuſque. Nunc mortalitate omni exutus, totus vivit ea parte, qua ſapuit, qua credidit, qua honeſtiſſime vixit. Cur tot laboribus defuncto invideas quietem! Cur poſt emenſos humanarum calamitatum fluctus ægre feras in portu eum navigare; & poſt confectam hominis Chriſtiani militiam rude donari ac bravium reportare? Cur mercari amplius volet, cui lucrum eſt Chriſtus. Quid mercari pretioſius, quid dignius poſſit, cui merces eſt Deus. Cur ſe byſſo amplius & ſerico implicet, quem jam *byſſo* (ut eſt in Apocalypſi) *inveſtivit Agnus albo & mundo*. Cur ulli mercator debere cupiat, cui majus debitum remiſſum in cœlis. Cur eſſe creditor, qui nulla bona ultra in ſpe habet. Nec opus illi adire vendentium & ementium frequentatam toties Panegyrim, qui jam in beatarum animarum cœtum receptus eſt, ubi nec venditur, nec emitur, nec debetur,

betur, ſed ex gratia habetur, quicquid habetur. Ea quoque ætate eruptus eſt tibi, qua vita noſtra morbus eſſe incipit. Eo ſenectutis gradu, infra quem plurimi deficimus. Eo morbi genere, qui placidiſſimus eſt & doloris expers. Græci μαρασμὸν vocant, Latini marcorem. Eo montis genere, ut nec acerbam illam nec crudem dixeris. Ea denique animi alacritate, qua migrare hinc ſolent viri, Chriſtiani, ac cives boni. Nec decepit Te natura, nam ſeptuagenarium vidiſti. Et ſi diutius vivere conceſſiſſet, miſeriarum illa ac malorum potius fuiſſet prorogatio, quam bonorum. Ille quia futura fidei oculis proſpexit, & æterna animo complexus fuit, vim abſtulerat præſentibus malis. Hoc cogitandum; quamdiu habueris, non quamdiu habere potueris. In præteritum tempus potius animum mitte, quam in futurum, & ejus te recordatione recrea, cujus uſusfructus tibi fuerit chariſſimus. Ingrati eſt, beneficii à Deo accepti finem, injuriam interpretari. Habuiſſe parentes bonos in bonis maximis eſt. At carere iis nunquam velle, inhumanum eſt. Non

dat illos Deus ad ſatietatem. Dat ad uſus & officia neceſſaria, quibus cum defuncti fuerint, ſuo illos jure repetit. Nec volo, te non ſentire dolorem præſentis funeris; ſed non volo, te non ferre. Optimo pietatis & rationis temperamento dolere parentis obitum potes, & eundem dolorem vincere. Ut vincas, non ad ſacra ſolum, ſed & liberalia ſtudia & ſapientum præcepta te confer, quibus animum imbuiſti jam inde à teneris, quæque ad uſum jam referre prudens didiciſti. Illa quoties fati neceſſitatem, morientium exempla, mortalis ævi ærumnas, futuri felicitatem, vitæque bene actæ conſcientiam ob oculos ponent, ſupervacuam pectori tuo vexationem eximent. Nec poterunt in tam denſo rationum examine obloqui multum degeneres quærimoniæ. Hæc cum perpendes, Vir prudentiſſime, acquieſces non invitus ſummi Numinis decreto, quo voluit te lugere patrem, ne ille lugeret Te. Quod ſupereſt, dilectiſſimi patris memoriam venerare, famamque

inculpatam in pretio habe. Ita qui vivus liberorum ſuorum commodis ſtuduit, mortuus adhuc prodeſſe poterit. Vale integerrime, & pias amici tui voces pro ſollatii parte habe. Reliqua à pietate, eruditione & prudentia tua facile impetrabis.

E Muſeo noſtro, Amſtelodami, 27. Decemb. 1634.

G. BARLÆUS.

X.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

CApita epiſtolæ tuæ ſunt oſtrea, neptes Richelii, menſæ Gallicæ, Dux Aureliananſis & Oxenſternius; res di-

verſiſſimæ, quarum aliæ edunt, aliæ eduntur, aliæ nubunt, aliæ nuptias reſcindunt, aliæ Martem iniquum, aliæ Venerem propitiam experiuntur, Eduntur oſtrea. Edunt Galli. Nubant dictæ neptes, nuptam repudiat Aurelianenſis Regis frater; iniquo Marte pugnat Oxenſternius, Germanique. Quæ de oſtreis ſcribis, probo. Licet non ſim ex eorum numero, qui

—— Circæis nata forent, an,
Lucrinum ad ſaxum, Rumpinove edita fundo
Oſtrea, callebant primo deprendere morſu.

Alii cruda amant; alii elixa. Ego præfero illa, quæ ad exemplum martyrii Laurentiani, flammis ſunt uſtulata, & cydoniorum ſucco adſperſa. Menſæ Gallicæ opiparæ fuerunt. Sed nihil ad luxum Tiberii, qui in menſa appoſuit tres mullos emptos tribus millibus nummûm. Dicere ſolebat Caligula, aut frugi hominem naſci oportere, aut Cæſarem. Aurelianenſis veniam facti ſui mereri poſſet, ſi qua facilitate cauſas repudii invenire

nire poſſet, ſponſæ ablata virginitas reſtitui poſſet. Oxenſternius adverſam fortunam ſuperare animi magnitudine didicit, non elatior eſſe ſecundis, nec dejectior adverſis. Cedendum ſubinde bellorum tempeſtati, donec adſpiret Favonius, qui è Gallia flare incipit. De Richelii neptibus nihil dicam, niſi hoc unum, operæ precium fuiſſe illas elocari, ob dotem. Poterit hanc amare impenſius, quæ Puilaurentium amat minus. Leida redii, ivi rediique iratis dîs hominibuſque; in itione infeſta fuere grando, venti, nives, pluviæ. In reditione, incidi in aurigam lentum, moroſum, duræ cervicis, pene dixerim non uno dignum ſuſpendio. Poſt meridiem te inviſam; & itineris mei labores enarrabo propius. 21. Mart, 1635.

XI.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Cum manus tuæ lineamenta ex literarum inſcriptione agnoviſſem, dixi mecum: Hic vir hic eſt. Ita adſolent miſeri amantes ſe imagine abſentis amaſiæ oblectare, & captare umbras, cum res nequeant. Sed quid audio? vir doctiſſimus D. Demorius id ſibi negotii dari patietur, ut Orationem meam de Animæ admirandis reddat Gallicè? Ergo cognoſcent propediem mecum Galli, quanta inſideat animæ ſui ignorantia. Quæ ſi in Batavo craſſior eſt, in Germano inflatior, in Hiſpano ſævior, in illis tota flamma eſt. Cognoſcent & hoc: quid Galliam toties colliſerit: quid ſceptris inſidietur,

tur, domi, foris; quid illud ſit, quod in ipſis loquitur diſſertiſſimè, pugnet calidiſſimè, ſalutet officioſiſſimè. Nam & hæc ab anima ſunt. Verum, hoc velim in verſione obſervare virum prudentiſſimum, ne ſe verbis meis adſtringat, ſed Paraphraſten agat, ubi neceſſe erit. Nec enim lepores Romanos de verbo ad verbum expreſſiſſe conveniet. Hoc agendum, ut pro Latinis floſculis reponantur Gallici. E. g. eleganter à Martiali dictum in hominem delicatum,

Aprum amat & mullos & ſumen & oſtrea.

quod quin propria phraſi & proverbio exprimere queant Galli, non eſt dubium. Rerum novarum quod ſcribam non habeo. Soleo enim ex tuo fonte bibere, & tuis uberibus lactari. Nunc quia alibi moraris, ſilent meæ cannæ, uti immotis follibus templorum organa. Vale, & Zulichemi Domino, Braſetto, ac Demorio me totum trade. 18. Mart. 1635.

XII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

HEri cum Legatis Illuſtriſſimorum Ordinum in Poloniam abituris pranſus fui. Quid animi mihi putas eſſe, qui dignus jam habeor tantorum epulis accumbere Divûm. Fuit mihi de poëſi & ἀμοιβαίοις (*alternis*) verſibus multus cum clariſſimo Honerdo ſermo. Nihil minus eſt, quam moroſe doctus, aut intempeſtivè ſeverus. Petiit, ut Epigrammate proſequerer Legatos. Feci hodie ſummo mane. Mittam próxima hebdomade. Jam non eſt otium. Exercitus noſter ex hybernis undique excitur. Arnhemi prima ſtatio eſt. At Princeps ex podagricis doloribus decumbit. Cuperet lectico vehi in Caſtra, ſed non patitur morbus. Hic ubi deſævierit, nulla

la erit in Duce mora. Urget quippe militem præſentia Turni. De Gallorum ſuppetiis quid dicam. Pergo ἐπέχειν. (*judicium ſuſpendere.*) Spectant undique veluti è ſpeculo Principes, quid dignum tanto apparatu ſimus daturi nos, quid Gallus, quid Infans. Intereà dum nihil agunt illi, ſed moliuntur & ſuo quoque more comuntur,

Amemus, Joachime, nos, amemus,
Rumoresque minaſque Martiales
Omnes unius æſtimemus aſſis.

Vale cum uxore & fratribus. 20. April. 1635.

XIII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

JAm ſcire deſiro; Amiciſſime virorum, num incolumis in Stormariam appuleris, una cum Creuſa, affine

tuo & cognata Marietta. Singulis pene diebus Solem reſpexi & Æolum. Illum non ſemel increpui, quod te iter facien-te caput nubibus aliquoties abdiderit, neque lumen ſuum cum virtutum tua-rum lumine confuderit. Nec minus ſuccenſui Æolo, quod ſpiraret acrius, & uxoris tuæ flammeolum diſcuſſerit importunius. Etiam illud me male ha-buit, quod infeſtam ſubinde ſenſeris pluviam. Sed iſta pluvia bene cedat Ju-noni tuæ, quæ ni fallor, te pluvium Jovem magis amat, quam pluviam? Sed cave hæc illi interpreteris. Eleuſi-nia ſacra ſunt, quæ revelare nefas. Sæ-pe me optavi vobis itineris ſocium, non ut magis eſſes ſeverus, ſed ne ri-deres parcius. Ubi intellexero vos ſoſ-pites Hamburgum veniſſe, Taurum Ne-ptuno, Æolo aſellos marinos mactabi-mus. Quod de tauro dico, voto & deſtinatione me facturum promitto, non re. Pretioſa nimis forent taurorum ſa-crificia. Princeps noſter à podagra pene convaluit, quod ad me perſcripſit nobiliſ-ſimus Mylius: indignatur ægros ſibi eſſe pedes, cui bellaturiunt manus.

Heri

Heri Haga diſceſſere ſtabularii omnes & equi.

Bella, ô bella, horrida bella,
Et multo video, ſpumantes ſanguine campos.

Niſi tanta incœpta remoretur aliquis caſuſve Deusve. Fert rumor Gallorum copias in agro Leodienſi ſtare. Non credunt Ϭαρυκέφαλιο. [*quibus grave caput eſt.*] Nec tamen arbitror fruſtra fore Regum Principumque ſuper communi bello deliberationes. Affinis tuus Weſenbecius, ante pauculos dies, fratres tuos & me convivio excepit. Miror, ſi dextra tibi non tinniit auris, adeo crebra tui hic facta mentio. Non dubito, quin & noſtri memores ſitis vos. Si iſtis officiis ſaginari poſſent gallinæ meæ, quas alit hortulus meus, levarer hordei impenſis. Vide de quam magnis rebus tecum loquar, poſtquam à ſerio argumento deſtituor. Vale candidiſſime & tuos ſaluta. 6. Maii, 1635.

XIV.

XIV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO *Compatri dilectiſſimo, Joachimus à Wickefort S. P. D.*

Amſtelodamum.

MUltum me Tibi debere profiteor, Amiciſſime Vir, quod elegantiſſimos iſtos verſus ad me miſeris. Annuit enim Vatis mei votis Deus, & tale nobis iter conceſſit, ut ſi de adventu rogaveris, ſatiſne ſalvus fuerit, reſpondere jubeat: Ex animi ſententia. Licet enim copioſiſſimus imber vias ubique luto & aquis oppleverat, tam provida tamen undique locorum fuit aurigarum cura, ut abſque periculo peregrinati ſimus. De ventorum clementia nihil dicam, cum trajectus omnes proſpere tranſierimus, Æolo ſcilicet favente & obſequente Vatis imperio. Adfinis Smitſius minas tuas prævenit, oſor atque inſolens genii Hamburgici, qui præpoſtera gravita-

vitate à baſiis abſtinet. Optimus Vir tanta comitate nos excepit, tantaque benevolentia nos hoſpitio ſuo detinet, ut vim pudori meo magis faciat, quam amicitiæ noſtræ. Præter luculentiſſima quam plura ejus teſtimonia, hoc quoque impartiri voluit, ut adfinitatis titulo etiam addiderit Compatris cum lectiſſima ejus uxor ante ſeſquiſeptimanam feliciter ipſi pepererit filiolum, qui nunc nomen meum refert, & patrem Novemvirum facit. Ita læti & incolumes hic ſumus, nihilque dolet, quam quod non ſimul ſis, mecumque frueris conſuetudine dulciſſimi & jucundiſſimi hoſpitis. De publicis nihil occurrit curioſitate Tua dignum. Cl. Foppius ab Aitzema Viennæ eſt apud Cæſarem nomine, ut puto, Ordinum. Alii tamen privato eſſe volunt, & in partes tranſiiſſe, nata forte ſuſpicione ex Baronis Titulis, quibus eum à Cæſare auctum perhibent. De Pace inter Cæſarem & Electorem Saxoniæ tam parum nobis conſtat, ut putem vobis iſthic minus latere. Fac, quæſo, ſciam ex te, quid Princeps moliatur, quid Gallus promittat, quid ab hoſtibus metuendum

ſit,

ſit. An Legati noſtri in Pruſſiam nondum diſceſſerint. Quid Nobiliſſimus Zulichemus agat, an Hagæ adhuc hæreat cum Principe, vel Ultrajecti mæchum poſteriorem agat in tranſitu. Denique an Uxor liberique tui bene valeant, & tu me amare pergas. Interea te cum omnibus tuis quam feliciſſimè vivere opto. Dabam Hamburgi 11. Maii 1635.

Saluta, ſi placet, Uxorem tuam & liberos meo & Junonis meæ (erat enim hoc ipſi nomen cum tua Pallas & Overbequia Venus vocaretur) nomine Salvebis etiam tu ab illa & adfinibus, inprimis à Chariſſimo meo Smitſio, qui te tuaſque dotes deperit.

XV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. Gaſparo Barlæo Compatri amiciſſimo Joachimus à Wickefort S. P. D.

DUm lætiores à te littteras exſpecto, triſtiſſimas illas accipio, quæ graviſſimum Conjugis tuæ morbum nunciant. Vellem ſanè nos iſthic jam eſſe, ut uterque noſtrum hoc vel officii præſtaret, vel ſolatii adferret, quod è re veſtra foret. Sed impræſentiarum nihil valemus, niſi votis & precibus ad Deum, ut chariſſimæ uxori id largiatur, quod ipſi, tibi & toti familiæ ſalutare ſit. De reditu nihil adhuc certi ſtatuimus. Si conjecturæ aliquid tribuendum, in Nonas Junii præter propter ille cadet. Si quid interea in mea

do-

domo eſt, quod uſui tibi eſſe poſſit; facies rem gratam, ſi audacter illud petas. De Foppio ab Aitzema quod nuper ſcripſi pro veriſſimo habetur. In partes enim Pontificiorum & Cæſaris tranſiit. Nondum tamen nuper ſcire potui quam dignitatem adeptus ſit, aut quo munere fungatur. Octiduum eſt quod rediit in hanc Urbem, ſed in publicum non prodiit: Saxo cum Cæſaris Legatis adhuc tractat de Pace, & Luneburgenſis etiam in inducias conſenſit, ut de exitu ſubditi bene ſperare incipiant. Præterea nihil hic audimus præter illa, quæ ex Belgio adferuntur. Vobis ea ſunt cognitiſſima. Vale Vir amiciſſime & chariſſimam conjugem meis verbis ex animo ſaluta, ac priſtinam valetudinem ipſi precare. Dabam raptim & in tenebris. Hamburgi 18. Maii 1635.

Salvebis quoque ab uxore mea cum conjuge & filialibus.

XVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS,

Ampliſſimo, Clariſſimo, atque integerrimo Viro D. GASPARO BARLÆO, Compatri chariſſimo Joachimus à Wickefort S. P. D.

Amſtelodamum.

PErtriſte eſt, Amicorum optime, quod de uxoris valetudine nobis indicas; ancipitem illam adhuc eſſe, nec extra periculi aleam poſitam. Non deſino tamen bene ſperare, cum morbus moras trahat, ac de apoplexia ſuſpicio amplius non ſit. Si Medicorum conjecturis eventus reſpondet, dabit Deus, quo præſenti ærumnæ abunde compenſabitur. Interea domeſticum hoc infortunium forti animo concoquendum eſt, familiaque exemplo tuo erigenda, ut privata nunc patientia, quod publica facundia ſæpius profeſſus es, quantum nimirum valeat polleatque adverſis temporibus Philoſophiæ præceptis inſtructiſ-

ſimus

ſimus animus. De Proteſtantium Principum Germaniæ Statu veriſſime judicas, ſuccisi poplites ægra membra vix ſuſtinent. Dux Bernhardus pro Republica tentat, quantum poteſt, ſed quid tandem efficiet, contra potentiſſimum Regis Hungariæ exercitum non video, cum deſtitutus à præcipuis circulorum ſubſidiis ab unico Gallorum Rege, alias occupato; favorem & auxilium expectat. Saxo pace ſibi conſulere vult, quæ carior ipſi conſtaret, ſi Cæſar ſibi à Gallo non metueret. Luneburgenſis Dux licet cum hactenus communem cauſam habuerit, perſuaſu tamen Saxonis ad Pacem quoque inclinat, modo Lantgravius Haſſiæ pacificatione comprehendatur, quem Cæſar cum quibuſdam aliis excludi voluit. Cardinalis Infantis primam expeditionem irritam fuiſſe, eſt quod nobis gratulamur, non parum enim refert novos Duces magnis ipſis excidere, cum conſtat tantum famæ quis decreſcere adverſa fortuna, quantum accreſceret proſpera. De Gallorum & Hiſpanorum ſimultatibus dubitandum amplius non eſt, quin in apertum bellum ſint
eru-

eruptura. Jacta jampridem eſt alea, & Rubiconem tranſierunt Hiſpani cum Moſellam infeſtarent occupata Trevirorum Urbe & abducto Electore. Non video quomodo hoc belli incendium extinguendum erit, cum vicinos Principes & Reſpublicas in partes traxerit. Leodienſes procul dubio hac tempeſtate tantum è ſpecula aliorum labores & pericula conſpicere volunt. Sed an Colonienſes immunes erunt à naufragio valde dubito. Vides, Vir Clariſſime, præpoſterè me garrire de publicis, cum ſcriptione dignum nihil habeam. Si quid proxima occaſione ad manus venerit, faciam te ejus inprimis certiorem. Interea vale cum chariſſima conjuge & à nobis omnibus plurimum ſalvete. Dabam raptim Hamburgi 25. Maii 1635.

XVII.

XVII.

G. BARLÆO J. VIGOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro domino GASPARO BARLÆO Compatri ſuaviſſimo S. P. D. Joachimus à Wickefort.

Amſtelodamum.

RUbore ſuffundor, amiciſſime Vir à tua humanitate, quod antequam à me epiſtolam ullam accepiſti, verſibus tuis & litteris me beaveris. Majore ſanè beneficio me tibi devincire non potuiſti. Scis enim quantum te, quantum eximias tuas dotes æſtimem. Mentione Verſuum, quibus Legatos in Pruſſiam abeuntes proſecutus es, ſalivam ita mihi moviſti, ut invidere illos mihi non poſſis abſque inſigni injuria. Si heroës iſti pronuper diſceſſerint, proculdubio fediſſima tempeſtate jactati iter illud execrati ſunt, niſi memores iſtius, quod tu non ita pridem ad amicum ſcripſiſti, nullum tem-

tempus viro bono importunum eſſe, quod Reipublicæ impenditur. De Principis noſtri morbo quod narras, hac præcipuè occaſione deplorandum eſt, quâ ſtudium in Patriam inſigni aliquo facinore conatur probare. Miror te adhuc dubitare de Gallorum ſuppetiis, & Scepticum agere, cum jam dudum Pirrhonis ſectæ bellum indixeris. Aut ego egregiè fallor, aut Galli ſocios & fœderatos hoc anno egregiè juvabunt, ut ab hoſtibus non adeo nobis metuendum ſit. Vellem Germanos non eſſe propiores periculo, in quos maximas belli moles incumbet à Cæſare, niſi Gallorum proſperi ſucceſſus reſpondeant conatibus. De Saxone nihil boni miſeris expectandum eſt, cum pacem ille quamcunque accepturus potius eſt, quam inextricabili bello ſeſe immixturus. Inferiores Saxoniæ Proceres ſummo cum deſiderio Illuſtriſſ. Regni Sueciæ M. Cancellarium exſpectant, ut ipſius interceſſione Saxonem à propoſito dimoveant. Sed apud me decollavit omnis ſpes. Proximè fortè ad te ſcribam quid ejus reliquum ſit. Interea te valere & cum chariſſima uxore & liberis plurimum

mum ſalvere jubeo. Uxor mea & adfinis Smitſius te quoque ex animo ſalutant. Iterum vale. Dabam Hamburgi, poſtridie Kalend. J....

XVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO Compatri chariſſimo Joachimus à Wickefort S. P. D.

Amſtelodamum.

VEllem, Amicorum optime, prolixius ad te ſcribere, ſed impedior ab officioſa, ne dicam importuna amicorum humanitate. De abortu chariſſimæ conjugis, quod ſcribis, & quæ ſecuta illum ſunt, ſymptomatibus mirificè me & uxorem meam afficit. Sperabimus tamen quamdiu non deſperat clariſſimus Verhoevius; cujus fides & diligentia in curatione, ſi rectè eum novi, non claudicabit. Quæ de publicis mihi narras, magis placent. De rebus noſtris benè ſperare incipio, poſtquam

fœdus

fœdus Gallicum tam nobili clade obſignatum eſt. Videbimus porro, quid Cæſar, quid Hiſpani acturi ſunt, quo tantam belli molem, quæ Belgio incumbit, declinent. Nullum enim eſt dubium, quin felici hoc ſucceſſu vires noſtræ ut ſunt recreatæ, ira & hoſtium attritæ inde animos addiderint, hinc plurimum ademerint. Exſpectabimus propediem, cum Princeps noſter conjunctis cum Gallo viribus impetum in Brabantiam facturus ſiti, ut ſtipendiariam illam reddat, locaque quædam in poteſtatem redigat, vel uterque exercitus munitiſſimi alicujus loci obſidioni incumbat. Vos qui propiores eſtis, de re ipſa nos edocere proteſtis. De Claſſe Anglica mira nobis narrantur. Rumor enim eſt eam Hiberniam prætervectam, ut Orientalis Indiæ navibus occurrat, & Angli à Societate vi extorqueant, quod hactenus ratione non potuere. Pax inter Cæſarem & Saxonem creditur concluſa, An Luneburgicus comprehendatur nondum liquet. Iniit inducias, ut fideli opera obtineat ab Imperatore, quod jure alias non poteſt. Eſt ipſi lis cum fratre ſuo qui Hitzigeri aulam habet, & in

in gratia apud Cæſarem eſt, ob Ducatum Brunſvicenſem, cujus poſſeſſionem ſi ſibi obſequio ſervare poſſet, indubie ad partes hoſtium tranſibit. Interea Heſſus arma movet fortiter, licet à Fœderatorum ſubſidiis longiſſimè diſſitus. Ampliſſimo Foppio ab Aitzema tuis verbis ſalutem dixi, qui illam tibi per me reſcribi voluit. Conſtans hic fama eſt eum à partibus noſtris diſceſſiſſe, apud me tamen videri volebat de Patria adhuc bene ſentire, imo de Galorum fortuna & potentia, quæ alias ipſi debebat eſſe ſuſpecta, bene ſperare. Propediem in Bataviam noſtram cogitat, ubi fortè occaſio dabitur colloquendi. Nos quidem abitum intra octiduum paramus, ut reſponſum à te amplius nullum exſpectem. Interea Te recte cum tuis valere voveo & ſalvere cupio. Dabam raptiſſime Hamburgi 5, Junii 1635.

Uxor mea & adfines, præſertim Smitſius te & chariſſimam matremfamilias ex animo mecum ſalutant. Ignoſces incuriæ ſcriptionis.

XIX.

XIX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

AMpliſſime Vicoforti,
Dum tu aulæ vacas, ego illam faſtidioſe diſco ſpernere. Splendorem iſtum non fero, noctuis ſimilis, quæ tenebras amant & latibula. Quam ſuave eſt vel Hugenio miſſitare verſiculos, vel tibi, vel matronis ſupra ſexum eruditis. Hac conditione non permutem Divitias operoſiores. Eſt domi meæ D. Overbequius, cui dum domum meam aperio, aperio litibus, in quas adverſariorum improbitate pertrahitur. Parum abeſt, quin fiam caufidicus, aut forenſis rabula, adeo auribus meis obſtrepunt crediti & debiti vocabula, ut videar δικαιολόγος, (*juris defenſor*,) & mercurialium controverſiarum arbiter. Advocati non ſemel mihi, & meritò, exprobrant rerum iſtarum imperitiam, quoties obloqui audeo, & interpellare exercitata litibus ora. Fero patienter verbera hæc, & Aſini Apulejani exemplo

C ex-

excipio tergore graves ictus. Recitent illi leges Codicis, & edicta Imperatorum. Mihi non obtuſum adeo eſt pectus, quin videam æqui & iniqui diſcrimen. Miſeret me illorum, de quorum bonis diſceptant iſti Rhetores. Non eguit ipſorum opera Diogenes, cui de pera & dolio nemo, quo ſciam, litem movit. Nec audies unquam Barlæum ire in partes, aut litigare pro roſtris. Placet illud Bilbilici: *Lis nunquam.* Nobiliſſimo Hugenio trade hos verſus ingenioſiſſimæ Teſſelæ. Non carent genio, niſi me aut affectus aut cœca admiratio inumbrant. Addidi epigramma meum. Quia ut proverbium habet,

Mulier pudica non it ſola.

Vale & cito redi. Ita placabis Dominam, mihi placebis. Amſtel. 16. Mart. 1636.

XX.

XX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

POſtquam hinc diſceſſiſti, dilectiſſime Vicoforti, diſceſſi tecum. Quæ te naves, qui te currus hinc abduxere, unà abduxerunt me. Feci cum corpore divortium, & comitatus abeuntem, non fui ultra hic, ſi quod ſum eâ parte æſtimes, quâ ſe Anaxarchus Philoſophus, & Socratici omnes homines cenſebant. Negant Sapientes animam dividuam eſſe. Ego te abſente falſum hoc comperio: nec enim totus vivo, ſed portiuncula mei, ex quo tu animæ meæ & præſidium, & dulce decus à nobis abiviſti. Scis triplicem eſſe animæ potentiam, eam, qua vivimus cum plantis; eam, qua ſentimus, cum brutis, & eam qua ſapi-

mus cum intelligentiis & divinis mentibus. Nulla harum jam integra mihi ſupereſt. Vivo languidius, quia tu vitæ meæ fomentum eras potentiſſimum, ac vultu, ſermonibus, officiiſque pluribus, quæ referre non attinet, protrahebas dies minus ſubinde lætos, & afflatu tuo alebas vitalem flammulam. Diminutos quoque ſenſus ſentio, quia quem videbam, audiebam coram; cujús dexteræ jungebam dexteram perlubentèr, nec videre jam, nec audire, nec tangere conceditur. Et cum animalium ſit loco moveri, ego remoto Achate meo pene plantanimal ſum, & ſpongiæ ſimilis adhæreſco tenacius domeſticæ rupi. Reſecta eſt è ratione pars, quia tu bonæ mentis argumenta objiciebas indies, nec ſinebas marceſcere intellectus vim, qui dum te abſente feriatur nimis, deſiderio tui carpitur magis. Voluntas, quæ omnium animæ facultatum maxime eſt divina & materiæ expers, vix jam ſua, vix jam meà eſt. Periit illa, quâ te diligebam, amore, ut in ſcholis loquuntur, complacentiæ, qui circa bonum præſens eſt. Periit illa, quâ in-

inter honeſtiſſimos te, ut non fictæ & fucatæ honeſtatis exemplar, amplexabar quotidie. Deſii velle jucunditatis & elegantiæ omnis patrem & arbitrum. Deſii velle uſibus publicis & amicorum natum, Gratiarum & Muſarum corculum, in quo & antiquitatis ſtudia veneramur, & quidquid inter nova ſine affectatione excellit, ſtupemus. Adverſus hæc abitionis tuæ incommoda remedium non aliud ſupereſt, quam ut abſentem præſentem fingam. Eſt animorum nexus inter locos diſſitos, & coaleſcunt illi ſejunctis maximè corporibus. Sæpius opto, verum illud eſſe, quod Averroi verum videbatur; Unum eſſe omnium hominum intellectum, ut tuus meus ſit, meus tuus. Sæpius opto, veram eſſe illorum ſententiam, qui corpus idem pluribus locis præſens eſſe contendunt, ob hoc ſolum, ut tibi jungar propius. Sæpius me recreat illa cogitatio, terras omnes, ſi cum extremo cœli margine compares, centum eſſe, & quantitatis expers punctulum, ne ulla ſenſibili diametro ſecludamur. Sæpius cogito avidius expeti, quibus ad tempus carere cogimur, & voto poſſideri

longius remota. Occurſat ſubinde illud, quod proverbio dici ſolet: amicus alter idem, ne ſi duo ſimus, ſejungi nos ac dirimi poſſibile ſit. Nec ignoras mi Vicoforti, ſomnia fingere eos qui amant. Quare ut ſolatia undique conquiram, fingo me Eurum eſſe, ut te ſequar per nubila: vel Solem, ut quavis te diei parte intuear: vel Lunam, ne de nocte me fugias: vel Oceanum, ut navigantem inſequar; vel Tritonem, ut valetudinis tuæ nuncium quaquaverſum ad amicos deferam. Quid ſexus immemor fingo me Berecynthiam eſſe, ut dum per turritas urbes veheris, rerum tuarum ſim conſcius: vel famam, quæ non niſi vera, & fauſta omnia de te nunciet. Cum Scepticorum placita volvo, cuperem illud cum ratione aſſeri, non magis te abiiſſe, quam non abiiſſe. Cum Peripateticorum, cuperem illud mihi probari, intellectum fieri illud, quod cogitat, ut quoties menti objiceris, ab eâ arctius tenearis, idem, quod ille eſt, factus. Cum Pythagoræorum; vellem migrare animas etiam vivorum, ut ad tem-

tempus tu à meâ, ego à tua capiam Hæcceitatem, aut, ut loquar Latinius, formam ſingularem. Sed deſinam fingere paradoxa, & commentis indulgere. Redditus ſum mihi, & diviſam miſerè animulam ſenſi redintegrare, ubi de tuo in Galliam adventu ſum factus certior. Rediere ilicet vita, ſenſus, ratio. Maris & prædonum periculis, per Dei gratiam, ſubductus pedem jam incolumis fixiſti in ſolo, ubi ſtudioſſimos tui habes viros ſummos maximoſque, qui operâ & conſiliis tuis uti in felicitatis ſuæ parte habent. Regem vides, quam juſti amor Deo, ſubditis, & Belgis noſtris jungit. Ducem adis, qui Galliarum opibus, virtute ſuâ, ſtirpis avitæ & tot tantiſque majorum exemplis ſubnixus, labantem Germaniam novo Marte ſuffulcit, & ſalutare ſidus, turbulento hoc imperii ſtatu, pulſis afflictiſque populis affulget. Nos hic abſentem te proſequuti ſumus & proſequimur indies animo, votis, precibus, etiam, ut feſtivè verum dicam, poculis. Inter tot ſalutes & faventium tibi omina, non potes non eſſe ſalvus & ſoſpes. Non eſt locus morbis, ubi hos proſcribunt publica vota.

Interfui cum uxore tua, matrona ſupra ſexum ſagaci erectâque, nuptiis filiæ Pauli de Wilhem. Tuo (credas) ſtrepuerunt nomine menſæ: nec dubito: quin tinnierint tibi aures amicorum gratulationibus & benignis vocibus, quibus te non Fortunæ reduci, ſed Deo ſervatori, & tutori omnes & ſinguli commendavere. Vale, Vir ſumme, & illuſtriſſimum Legatum D. Grotium, alioſque mei amantes reverenter ſaluta, etiam ampliſſimum D. Junium, ubi Rhenum trajeceris. Duci Wiſmarienſi opto, uti ſicuti nunc eſt, præliis, bello pergat eſſe ſuperior. Tua, fratreſque omnes valent. Plurima te ſalute impertiunt Satrapa Muydenſis, collega meus D. Voſſius, Moſtartius, & liberorum meorum tui obſervantiſſima turba. Amſtelod. 16. Maii, 1638.

XXI.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

DUm tu Gallias felici itinere peragras, Vicoforti præſtantiſſime, nos hic amicis vacamus, & feriarum dies domi tranſigimus non infelici quiete. Fuimus Pentecoſtæ feſto Muydæ, unà cum lectiſſimâ tuâ conjuge, & ampliſſimo Viro D. Moſtartio, quò nos evocaverat Satrapa Muydenſis, vir demerendis bonis natus. Etenim anni tempeſtas ea eſt, quæ occupatiſſimos à ſtudiis avellere poſſit, & ſibi totos vindicare. Illic cùm eſſem, tibi abſenti hos verſiculos in convivas noſtri hoſpitis inſcripſi:

Tres ſumus hic Muydæ, ſcriptor, tibi nupta, profeſſor,

C 5 *Ex-*

Expers ille ſuæ conjugis, ille ſuæ.
Nec patiens tibi nupta tui eſt: ſine compare quiſque
Ambulat & mediis ſolus inerrat agris.
It magno Leonora viro comes una, ſuiſque
Hoſpitibus fato proſperiore præit.
Illa tamen noſtra dantur ſolatia ſorti:
Tres ſine conjugibus, tres ſine lite ſumus.

Muydâ domum reverſus nuptiis interſui ampliſſimi viri G. Bartolotti, una cum Collega meo clariſſimo D. Voſſio. Invitata quoque fuerat uxor tua; ſed abſentia ſua fefellit expectationem ſponſi, ſponſæque. Vis cauſam? non eſt illi plenum gaudium, te abſente. Hæc nuptialis ſcena, ſi fuiſſes hic, & ſpectatorem te habuiſſet & actorem. Nunc magis ſeria tibi cordi, dum Principibus, ſummiſque Ducibus adſueſcis, quorum per Europam univerſam fama celebritaſque maxima eſt. Profecto digniore ſorte abes. Hic ſponſis fruimur placidiſſimis, illic tu bellicoſiſſimo Duce.

Hic

Hic in Veneris arena caſtriſque ſtamus, illic tu in bellonæ circo & pulvere. Hic privata amicorum res agitur, illic publica Chriſtiani orbis. Hic inter inermes convivas ſedeo, illic tu inter armatos & cataphractos. Hic de expugnanda virginitate agitur, illic de expugnandis urbibus & caſtris. Hic Hymen lenioris belli facem ventilat, illic Mavors aſperioris & cruenti. Hic cythara, teſtudine, cantu animi manſueſcunt, illic tympanorum, tubarumque ſtrepitu & clangore ad ferociam excitantur. Illic morti præluditur quotidianis præliis, hic vitæ quotidianis oſculis. Ita diſpare fato vivimus mortales, nec eadem ubique omnes agimus. Fama eſt, Wiſmarium Ducem,

Succeſſus urgere ſuos, inſtare menti.

quod de Cæſare Dictatore cecinit Lucanus. Hâc via calcat iter laudum, atque ipſis caput inſerit aſtris. Nos, licet longius poſiti gratulamur victori & votis juvamus rerum lapſarum reſtitutorem. Nec quieſcunt fœderati Ordines, qui dum Ducis tui felicitatem in lucro deputant,

novâ expeditione Hiſpaniarum Infantem terrent. Auriacus jam movit. Prope Sylvam Ducis copiarum coitio eſt. Conſcribuntur naves vehendo militi. An in Brabantiam, an in Flandriam iturus ſit Gubernator noſter in incerto eſt. Gallorum exercitus Duce Chaſtillonio Duynkerkam, ut ajunt, petit. Ejus portum clauſit Archithalaſſus Fœderatorum. Bella, ô bella, horrida bella. Sed Deo, & qui illi proximi ſunt, Principibus hæc relinquo. Comes Henricus Bergius deſiit vivere, & victima eſſe odii Philippici. Te vivere & valere cupio, & ſemper quo te cœleſtis clementia duxerit, ire. Vale amicorum ocelle. Salutant te amici omnes, & ſeptenarius meus. Amſtelod. 4. Junii, 1638.

XXII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Binis te litteris à diſceſſu tuo affatus ſum, Vicoforti præſtantiſſime; reſpondiſti nondum. Nec ægrè fero. Scio pluribus tibi ſcribendum eſſe, & de rebus ejus argumenti, quod ad Philoſophum non ſpectat. Et tamen toties te reſpondiſſe arbitror, quoties me uxoriis litteris ſalvere juſſiſti. Ita perge. Sufficit, ſi memoria mei curis tuis occupationibuſque ſubinde intercurſet. Sic me tecum equitare, navigare, ire, prandere, cœnare fingo. Soleo diebus Sabbathis quibus tabellarius Gallicus ſe exonerat, domi tuæ eſſe, ut de te & valetudine tua reddar certior. Ubi fauſta omnia

læta-

lætaque percepi, ridemus, gaudemus, plaudimus omnes, uxor, fratres affines, ego, — — — — —

— Amyclæis velut exultabit arenis
Paſtor, ad Idæas Helenâ veniente carinas.

Sequanam, Ligerim, Rhodanum, Rhenum, & quæ alia attinges flumina vel trajicies, pacata tibi & propitia optamus. Dignus es, cui obſequantur aquæ minores, & Oceani filiæ, qui Oceanum nuper conſcendiſti, ut terrarum Diis morem geras. Dignus es, cui montes, colles, rupes obviæ ſternant iter, quia nihil tam excelſum editumque, quod non modeſta animi tui magnitudo tranſcendere poſſit. Dignus es, cui valles omnes & depreſſa famulentur, cui nihil tam humile & ſubmiſſum, quod non virtutum tibi materiam uberem, & ſublimioris curæ ſuppeditet. Legiſti olim odam iſtam Horatianam:

nam: *Integer vitæ* &c. Iſtam jam tibi applica. Non eges cuſtode, cujus valetudini invigilat cuſtos temperantia. Non metuis tibi à latronibus, cui tutelare nomen eſt innocentia & probitas. Non opus jaculis, arcu, pharetrâ, qui pacis ſtudia bellis præfers, nec juſta ulla arbitraris, niſi quæ pro aris & focis ſuſcipi ſuadet imperatque neceſſitas. Comitem itineris (ita ſtatuo) habes Amp. D. Junium, & in illo comites tres, doctrinam, prudentiam, comitatem. Hæc poſtrema pro vehiculo eſt. Vectat te non ſemel equus veredus, ut celeritate caballi conficias iter, quod inſtituto jam abſolviſti. Modò tolutim incedis, & ad numerum colligis equi ungulas, ut non Principibus ſolum, ſed & privatis lentè feſtinandum eſſe tuo exemplo doceas. Ita te, mi Viccoforti, ſecurum tutumque præſtant viæ; comites, flumina, mare, montes. Cæterùm publica quod attinet, non unius belli ſignum in Europæo Orbe erexit Bellona. In arenam prodiere magni actores, Auſtriacus, Gallus, Suecus, Fœderati. Auſtriacus non uno

Du-

Duce & loco pugnat, non uno Suecus. Gallus alibi duce Chaſtillonio, alibi duce Wimario victor pugnat. Hic poſtquam captivos abduxit Cæſareani exercitus Duces plurimos, urbes jam ſuas facit, & cladem Nortlinganam glorioſè ulciſcitur. Non poterat Gallus certius vincere, quam per Germanum Principem; nec illuſtrius, quam per Saxonum domo natum, nec fortius, quam per illum, qui Auſtriacorum terror, & fatalis tempeſtas habetur. Hic Auriacus noſter pergit ἀϱιϛεύειν, (*optimè rem gerere,*) & grandibus auſis promovere res Fœderatorum. Exercitum navibus receptum ſecundo Vahali Bergas ad Zomam traduxit; partem ejus ſub moderamine Guilielmi Naſſovii in aggeres iſtos arceſque immiſit, quæ Waſiam tuentur. & jam fama eſt, quoſdam ex iis expugnatas nobis acceſſiſſe. Illud certum; Mariæ Caſtellum, quod aggeri *Blockerſdyck* impoſitum eſt, à dicto Comite obſeſſum teneri. Timet ſibi Antverpia, timet Hulſta. Illam expugnari poſſe vix mihi ſit veriſimile, & tamen habet paradoxa ſua Imperator noſter, & res maximas

mas prærer omnium ſpem non ſemel confecit. Gallus ad Fanum S. Audomari caſtra poſuit, & mœnibus inſtat. Cæſis aliquot Gallorum cohortibus urbi providit Hiſpanus à milite, pulvere tormentario & commeatu. Duynkerkam ſollicitè tuetur, ne tot noſtrorum ſpoliis famosâ urbe excidat. Nondum inclinationem fecit Mavors, ſuſpenſo adhuc belli eventu. Gaudebo tecum aut dolebo. Prius malim. Uti & hoc: Te valere & ampliſſimum D: Junium ſalvere. Salutant te conjux tua, fratres, affines, amici complures, & inter hos liberorum meorum tui ſtudioſiſſima turba. Amſtelod. 18. Jun. 1638.

XXIII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

NUper in Gallias, è Galliis in Germaniam proficiſcentem ad Ducem maximum, litteris, animo, votis proſecuti ſumus, Vicoforti præſtantiſsime. Jam à Duce reducem indies exſpectamus, & in iis terris coram videre & amplecti deſideramus ubi chariſſima habes pignora, Creuſam puta tuam, fratres, & intimæ admiſſionis amicum. Illa menſes, dies, horas abſentis mariti magnâ ſupputat curâ: & ſi bene calculum poſui, vellet momento confici poſſe & negotia tua & itinerum ſpacia. Aliter amor,

amor, aliter Peripatus philoſophatur. Ille longioris moræ impatiens motum optat fieri in inſtanti: hæc fieri poſſe pernegat. Nec dubito, quin & te Belgii tui & Belgarum capiat deſiderium, ubi bellorum omnis vis deſæviit, & minore motu Mavors res ſuas agit. Poſt cladem Flandricam & fruſtra tentatam Waſiam, nihil à nobis geſtum illuſtre & laudabile, nihil ab hoſte. Captivos noſtros præter militiæ morem durius habet Infans Cardinalis, ut plurimi mutato ſacramento ſub Hiſpano jam mereant. Nec dimiſſurus illos creditur, priuſquam apta bello anni tempeſtas tranſierit. Exaſperabitur hoc exemplo Imperator uoſter, & de clementia fortè ſua, ubi ſimilis caſus manebit hoſtem, nonnihil remittet. Obſidionem fani S. Audomaro ſacri ſolvit Gallus, minus, ut ajunt, glorioſè. Maluit lentè vinci & circumveniri, quàm non vincere citò. Etiam Briſaco à commeatu & armis proſpectum eſſe per Cæſareaneos conſtans fama eſt. In Inſubribus Vercellas recepit Hiſpanus. Illud in tanta malorum ſylloge pro ſolatio ſit, prædoma-

nes Morinos in portubus ſuis contineri, ne graſſari in inermes ſuo more poſſint. Summâ hoc agit ſollicitudine Fœderatorum Archithalaſſus, ut navium, quæ in Flandrico hic illic ſunt littore, egreſſum prohibeat. Nuper aliquot egreſſum parantes laudabili facinore, in arenas & brevia egit, ut ſecurus jam naviget mercator & navita noſtras. In Novo Orbe Comes Mauritius inſulis aliquot, quæ Portui omnium Sanctorum objacent, potitus eſt. Nec tamen ſpes eſt, futurum, ut Urbe ipſa potiatur, ob validum quo tenetur præſidium. Annonæ penuriâ vinci eam citius poſſe autumant prudentiores, quam armis. Ex Orientali India appulere naves grandiores ſeptem, opimis mercibus onuſtæ. Hoſtem ubique invenit Hiſpanus vel militem noſtrum vel mercatorem. Bello atteritur, & mercatu. Pugnat Reſpublica, pugnant privati. & quod publicis deeſt opibus, ſupplent civium fere ſinguli. Goam Luſitanorum in Aſiæ finibus metropolim claſſe clauſimus, ne ſe Olyſſiponem recipiant galeatæ naves. Felicius foris, quàm do-

domi hac æſtate pugnatum. Non ubique pari nos vultu reſpicit fortuna. Illud audiviſti, in Hiſpaniæ portu naves aliquot onerarias in poteſtatem Ducis Condæi ceſſiſſe, magnamque inſuper armorum vim. Ita alibi de Gallo triumphat Hiſpanus, alibi de Hiſpano Gallus, & diviſa belli ſorte ambo gaudent, ambo dolent. Nobis feriæ ſunt ob Caniculæ æſtum, quæ ſilere vult feſſas profitentium linguas. Hoc tempore modò in Bameſtræ agrum, modò Muydam, modò aliò me ad amicos recipio, ut ab his impetrem hilaritatis pabula, quæ domi negantur. Vale, Vir ſumme & amiciſſime. Amſtelod. 28. Jul. 1638.

XXIV.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

LItteras tuas Baſileâ ad me datas accepi, Vicoforti præſtantiſſime, veteris tui & erga me affectus teſtes. Ternas à me accepiſſe te ſcribis, cum præter illas miſerim alteras & alteras. Scripſiſſem ſæpius, ſed excuſſit non ſemel manu calamum adverſa belli noſtri fortuna. Abſtinui à triſtibus, cum quæ ſcriberem lætiora non ſuppeterent. Adverſo Marte nuſquam non pugnavimus, nec favit hâc æſtate cœptis exercituum Deus. Ideo laborante publica fama, ſilui privatus. Didicimus, proh dolor, malo noſtro, Martem alium atque alium eſſe, nec victricem ſemper laurum ſuſpendere Fœderatorum vertici. Ita eunt res humanæ: caſtigantur ſubinde magni Principum ſucceſſus ſuis calamitatibus, ne humanis præſidiis fidamus

damus nimium. Interim gratulamur omnes felicibus auſis illuſtriſſimi Ducis Viſmariæ, qui ſolus in Europæo orbe de Auſtriacis triumphat. Obſedimus nos Geldriam, ſed ſuperveniente ocyus hoſte ſolvimus obſidionem, capto Principis Portugalliæ filio. Venit in urbem hanc Regina Mater, Maria de Medicis, ipſis Kalendis Septembris ab ampliſſimo Senatu civibuſque ea qua par eſt veneratione excepta. Obviam adventanti ivit equitum urbanorum turma, phaleratis equis decora & conſpicua. Nec enim ad pugnam ibat aut bellum, ſed ut dignis honoribus exciperetur auguſtiſſima magni Regis conjunx, trium Regum mater, è Cæſaribus maternum, ex Etruriæ Ducibus paternum genus ducens. Civium quotquot ſunt ſigna & centuriæ, in armis adeſſe juſſæ, intrantem proſecutæ ſunt. Exhibita ſpectacula plurima, erecti arcus triumphales, exploſa per urbem tormenta, quæ locis opportunis diſpoſita illuſtrem clarumque adventum fecere. Inter ſpectacula Berecynthia fuit Deorum mater curru vecta, nec non collatio Coronæ Cæſareæ, qua ex Maximiliani Imperatoris

toris dono hæc urbs gloriatur. Neptunus adhæc Nereideſque Reginæ in aquis adventum gratulantes: Nuptiæ inſuper Henrici Quarti & Mediceæ, aliaque plura quæ longum foret recenſere. Excepere eam rariore convivio Præfecti Societatis Indiæ, quæ ad Orientem mercatur. Pro ferculis ſuere omnis generis aromata, quæ Aurora mittit, quorum alia ſapore, alia odore, alia colore, alia omnibus ſimul placere poterant. Ego inter alios hunc ſtrepitum edidi Epigrammate: quod auguſtiſſimæ Reginæ, magni Henrici conjugi, trium Regum matri, Cæſarum & Etruſcorum Ducum ſtemmate illuſtri inſcribere auſus ſui:

Qualis per Phrygias quondam Berecynthia portas
Vecta fuit, partu tot celebrata Deûm;
Ingredere auſpiciis noſtram felicibus urbem,
Atque oculos per me fer, Medicea tuos.
Quos portus, quæ tecta vides, turreſque rateſque,
Templaque, fortunæ ſunt monumenta mea.

Per

Per terras fluctuſque vagor: ſua munera mundus
mittit, & hic precio proſtat uterque ſuo.
Cæſaream felix, ab avo donante, coronam
Et decus à veſtro ſanguine grande tuli.
Ad te præteriti redeat nunc gratia facti,
Et non immemorem, maxima Neptis, habe.
Sic placui defenſa tuo, Regina, marito:
Sic nato de Te Rege beata fruor.
Si majus genuiſſe Deos, Regeſque, Duceſque,
Jam matri liceat tot placuiſſe Deûm.

Reditum tuum exſpectamus omnes exerto collo. Noli diutius nos mulctare abſentia tua. Non puto futurum, ut novis mandatis aliò deflectas, priuſquam domum veneris. Vocant te huc plurima tibi tuiſque nota magis, quam mihi. Domi tuæ omnia ſalva. Salutant te amici omnes, quos plurimos habes & tui ſtudioſiſſimos. Vale, mi optime, mi fidiſſime. Et *nil mihi reſcribas, attamen ip-*

toris dono hæc urbs gloriatur. Neptunus adhæc Nereideſque Reginæ in aquis adventum gratulantes: Nuptiæ inſuper Henrici Quarti & Mediceæ, aliaque plura quæ longum foret recenſere. Excepere eam rariore convivio Præfecti Societatis Indiæ, quæ ad Orientem mercatur. Pro ferculis ſuere omnis generis aromata, quæ Aurora mittit, quorum alia ſapore, alia odore, alia colore, alia omnibus ſimul placere poterant. Ego inter alios hunc ſtrepitum edidi Epigrammate: quod auguſtiſſimæ Reginæ, magni Henrici conjugi, trium Regum matri, Cæſarum & Etruſcorum Ducum ſtemmate illuſtri inſcribere auſus fui:

Qualis per Phrygias quondam Berecynthia portas
Vecta fuit, partu tot celebrata Deûm;
Ingredere auſpiciis noſtram felicibus urbem,
Atque oculos per me fer, Medicea tuos.
Quos portus, quæ tecta vides, turreſque rateſque,
Templaque, fortunæ ſunt monumenta mea.

Per

Per terras fluctuſque vagor: ſua munera mundus
mittit, & hic precio proſtat uterque ſuo.
Cæſaream felix, ab avo donante, coronam
Et decus à veſtro ſanguine grande tuli.
Ad te præteriti redeat nunc gratia facti,
Et non immemorem, maxima Neptis, habe.
Sic placui defenſa tuo, Regina, marito:
Sic nato de Te Rege beata fruor.
Si majus genuiſſe Deos, Regeſque, Duceſque,
Jam matri liceat tot placuiſſe Deûm.

Reditum tuum exſpectamus omnes exerto collo. Noli diutius nos mulctare abſentia tua. Non puto futurum, ut novis mandatis aliò deflectas, priuſquam domum veneris. Vocant te huc plurima tibi tuiſque nota magis, quam mihi. Domi tuæ omnia ſalva. Salutant te amici omnes, quos plurimos habes & tui ſtudioſiſſimos. Vale, mi optime, mi fidiſſime. Et *nil mihi reſcribas, attamen ip-*

veni. Amſtelodami 16. Septembris, 1638.

XXV.

JOACH. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Amſtelodamum.

Pedem unum in Cymba Charontis habui, nobiliſſime Vicoforti amicorum ocelle, è qua me præter ſpem retraxit divina clementia. Adeo me per quadrimeſtre afflixit & attrivit, graviſſimis paroxyſmis, pertinax quartana, ut fractis omnino viribus, plurium judicio deploratæ fuerim ſalutis. Sed erexit me inter febres & febrium ſymptomata & liberorum amor : à quibus avelli durum parenti videbatur, & perpetua tui memoria. Putabam enim injuriam mihi fieri à fatis, ſi ante tuum reditum hinc mi-

migrarem. Etenim longa tua abſentia non ſolum conjugem tuam dilectiſſimam & fratres germanos mulctas, ſed & me, qui pro adoptivo fratre haberi poſſum & cupio. Vide quales quantaſque ex amicitia noſtra colligam concluſiones. Scripſiſſem N. T. ſæpius, ſed lectulo diu affixus non fui par ſolitis officiis. Senas ad te dedi litteras; an omnes in manus tuas pervenerint, utique neſcio. Nunc immunis à febre per Dei gratiam tibi litterulis meis iterum obſtrepo. Ægrum adhuc & languidum traho corpuſculum, ut non niſi tremula manu hæc ipſa ſcribam. Nondum progredior foras ob frigus & metum recidivæ. Gaudium ob captam, poſt longam moleſtiſſimamque obſidionem, Briſacum, non Germanos ſolum & Gallos victores, ſed & longius poſitos Batavos affecit, & inter hos me quoque, qui gratulabar N. T. ea te tempeſtate & rerum facie, Ducem maximum acceſſiſſe, qua virtuti ejus felicior fortuna reſpondit. Ingenti ſe gloria involvit, & totius Europæ applauſum meruit, ut qui ſolus hac æſtate belli famam cum

laude ſuſtinuit, & toties de hoſtibus ſuis triumphavit, idque exigua militum manu, qua potiores numero Auſtriacos exercitus contudit, fugavit, vicit, tandemque invictam urbem inter tot diſcrimina, poſt tot hoſtiles inſultus, media bruma ad deditionem compulerit. Te, mi Vicoforti, tantæ victoriæ teſtem & nuncium ad Galliarum Regem ab addictiſſimo tibi Duce miſſum lubens intellexi. Hæc legatio uti tibi tuiſque glorioſa eſt, ita, ſi bene calculum poſui, honeſtis quoque te commodis beabit. Inter Muſas & & elegantiora ſtudia enutritus proſecutus es Aquilas, belli præmia, & pacis Phœbique alumnus turbulenti Martis opima ſpolia ſuſpendiſti in templis. Quantum mutatus ab illo, qui mecum familiarius deambulare, & de ſtudiis ſermones habere ſolebas. Obiit ante ſex hebdomadas Academiæ Leydenſis grande decus & lumen D. Petrus Cunæus, cognatus meus, ex febre, quæ in Zelandia ipſum corripuit, & jam valetudini pene reſtitutum recollectis viribus exſtinxit. Uxor ſimili febre correpta, & mœ-

mœrore contabeſcens heſterno die mariti manes comitata fuit, & ingens ſui deſiderium apud quinam prolem reliquit. Inter hæc amicorum meorum funera, parum abeſt, quin & ipſe funus fiam. Scripſi hiſtoriam publicæ gratulationis, qua ſereniſſimam Reginam, Mariam de Medicis, excepere Senatus populuſque Amſtelodamenſis. Ea ſumptibus publicis, cum imaginibus & iconibus, apud Blaeuwium excuſa jam jam lucem videbit. Exemplaria aliquot veſtita magnifice in Angliam abeunt. Nec dubito, quin in Galliam quoque ad Regem & Cardinalem miſſuri ſint Coſſ. noſtri. Ego exemplar N. T. & illuſtriſſimo D. Grotio mittam. Opuſculum hoc invita Minerva, & gliſcente indies febrili æſtu ſcripſi, hoc leſt minus ſerenus. Itaque veniam dabis ſi Reginæ cauſam & honores, minus erecta & ſublimi dictione exequar. Scripſi rogatu eorum, quorum poſtulata ſunt imperia. Vale, Vir dilectiſſime, ac Barlæum tuum, dum iſthic es, eorum favori inſinua, quos humaniorum artium noviſti eſſe præſi-

dia & ſolatia. Amſtelodami 20. Januar. 1639.

XXVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Ampliſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO *S. P. D. Joachimus à Wickefort.*

INdubiè, Vir Clariſſime, me tui immemorem & teneræ conjugis dices, quod ad te rarius ſcribam, nec tandem in viam me dem. Sed etiam excuſabis, ſi edoctus fueris de impedimentis, quæ toto itineris tempore quotidie interciderunt. Menſis jam eſt & amplius, quod in hanc Urbem veni ablegatus à Sereniſſimo Principe Bernhardo Saxoniæ Duce, ut negotia quædam, quorum ipſius & Fœderatorum intereſt, procu-

rem.

rem. Expeditum me iri putabam intra quindecim vel viginti dies, ſed tantum abeſt ut multum profecerim, ut non videam adhuc ante finem Februarii me abiturum. Fama vobis indicium abſque dubio fecit de inſigni victoria, quam nunquam ſatis laudatus Princeps de hoſtibus reportavit. Quis unquam fortius conflixit aut felicius triumphavit? tanta Herois geſta merentur ingenii non vulgaris monumentum, ut & poſteris conſtet ſeculum noſtrum decoris artibus non caruiſſe, quoties magna & nobilis aliqua virtus ſuperaverit vitium magnis parviſque Civitatibus commune ignorantiam recti & invidiam. Si quid preces meæ apud Te valeant, ſi quid amicitia, hoc mihi beneficii præſtabis, ut à Te ſive ligata ſive ſoluta oratione aliquid videamus, quod egregia Ducis facta à mortalitate vindicabit. Nudiuſtertius litteras à D. Johvio, qui te plurimum ſalutat, accepi, quibus indicavit Principem poſt captas Landſeron & Burg arces in hyberna conceſſiſſe, verſus Comitatum Burgundiæ. Præterea nihil novi hic habemus, quapropter

Te plurimum valere jubeo, & rogo, ut ruditatem ſcriptionis excuſes. Saluta, quæſo Clariſſimum Voſſium. Dabam Lutetiæ Pariſiorum, 29. Januarii 1639. cujus initium & finem Te æque felicem per multos annos voveo. Salveant quoque filiæ omnes, & filius Gaſparus, cum quibus gaudeo valetudinem tecum in meliorem gratiam rediiſſe.

XXVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

Clariſſime Vir,

Tot negotiis impræſentiarum ſum diſtrictus, ut vix hæc ad te exarare liceat. Non poſſum tamen, quin paucis tibi ſignificem me cum ſummo gaudio ex Tuis percepiſſe, Te ſanitati priſtinæ fuiſſe reſtitutum. Si apud vos eſſem, mactarem gal-

gallum Æſculapio & vota pro ſalute tanti amici ſolverem. Sed adhuc mihi non licet eſſe tam beato. Per menſem præterpropter adhuc in aula hærendum erit, & expectandum quid Princeps meus poſt maturam deliberationem facturus ſit. Audiuiſti indubiè quanta generoſitate in hyberna ingreſſus multa Oppida Burgundiæ imperata facere coëgit. Poſt Pontarlirum, Nozoretum, Fanum Claudii & & alia non parvi momenti in poteſtatem ſunt redacta. Illud præcipuum duco, quod magna commeatus copia fuit reperta, quæ alendo exercitui ſufficiat. Quid animi putas Gallis eſſe, qui valida militum manu tota æſtate nihil illic præſtiterunt? Quid aliis? Quibus à Principe noſtro Lauream invitis adeptam credunt, quibus mentis acies non eſt offuſcata adfectibus. Audieram jam pridem Reginæ Matris gratulationes publicas Tuo ſtylo ornatas, ſed exempla ſi placet non expectabo. Frater meus Gaſpar illud; quod pro illuſtriſſimo Grotio erit, rectè curabit. Tu ſalvebis ab illo, & à me cum univerſa Familia. Vale amicorum ocelle & valetudinem tuam cura di-

ligenter. Dabam Lutetiæ Pariſiorum 12. Februarii, 1639.

Tuus uſque ad aras

J. VICOFORTIUS.

Salutem quæſo dicas Clariſſimo Voſſio meo nomine quam diligenter.

XXVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS,

Clariſsimo Viro D. GASPARO BARLÆO, Amicorum optimo S. P. D.

Leydam.

ADeo me beaſti, Amiciſſime Barlæe, itineris tui hiſtoriola, ut heri repetita illius lectione bonam partem bilis, quam invita Fequerii ad Theonis villam expe-

expeditio moverat, decoxerim. Quo animo me credas accepiſſe tam triſtem rerum nuncium, cùm quatuor equitum legiones à Principe meo auxilio miſſas eandem cum Gallis aleam ſubiiſſe veriſimile ſit? Antverpienſes ſcribunt non minus quam tria millia capta & ſeptem millia Gallorum occubuiſſe. Quod ipſius Picolominæi litteris ad Cardinalem Infantem datis (ſi modo hoſti hac in re habenda fides) confirmatur. Tormenta & impedimenta omnia in hoſtium poteſtatem ceſſerunt. Fequierius ipſe vulneratus & Theonis villam captivus abductus. Benè cum Gallis agetur, ſi Heſdini expugnatione receptam infamiam abolere valeant. Sed coactas nubes video, quæ majorem tempeſtatem minantur. Ipſe Picolominæus in viam ſe dedit cum ter mille delectis equitibus, ut Cardinali præſto ſit, & conjunctis viribus obſeſſis ſuppetias ferat, quod factum difficile non erit, ſi Caſtillonæus cum ſuis Copiis in tempore non adveniat atque unà cum Melleraio conatus hoſtium non antevertat. Quid putas Principem Arauſionenſem tam triſti re-

XXIX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ultrajectum.

TU, Amiciſſime Barlæe, Trajectenſis agri mitiore cœlo frueris, ut animum à ſtudiis & domeſticis curis ſolutum amicorum dulci colloquio recrees; ego in Muſæum me abdidi, ut ab hominum cætu remotus infandum, quem percepi dolorem, ſolitudine leniam. Abſtulit, heu, mihi repentinum Parcæ telum Principem, quem tu nuper elegantiſſimis verſibus æternitati conſecraſti. Qui caſus ſimulatque ad aures meas pervenit, tanta conſternatione perculſit mentem, ut vitam mihi ipſam putarem acerbam eſſe & ingratam. Scis hoſtes ex improviſo adorientes difficillimè ſuſtineri, nec fortunæ ictus eſſe graviores, quàm inopinatos. Certè, non tantum civilis officii atque omnis humanitatis ſenſus planè expers eſſem, ſi funeſtum

& infauſtum nuncium ſumma cum triſtitia non accepiſſem. Subit ita cogitatio veteris amicitiæ, ſubit ita memoria noviſſimæ converſationis, qua optimus Princeps me, licet indignum, tanto honore, dignatus fuit, ut mitius mecum fortuna egiſſet, ſi eouſque in ipſius gratiam nunquam me inſinuaſſet. Maximum genus infortunii eſt fuiſſe felicem, & ſi rectè calculum poſui, diuturnior benevolentia ideo conceſſa fuit à Deo immortali, ut ex privatione ipſius & commutatione rerum magis dolerem. De bonitate & liberalitate, qua freqnenter erga me auſus fuit indulgentiſſimus Princeps, nihil apud te dicam, qui ſæpius illas prædicantem audiviſti. Talis certè utraque fuit, ut opes & honores luculentos exſpectare aliquando debuerim: ſed majoris momenti jactura eſt: quàm fecit Reſpublica. Jam cives & quotquot pacis amantes exiſtunt, orbati ſunt Principe, in quo maxima quietis & tranquillitatis ſpes oriebatur. Exercitus deſtitutus eſt Duce, quo parem nunquam inveniet, ſuccidaneum. Volunt hanc curam à provido Principe ante mortem commiſ-

ſam

ſam fuiſſe Regno Sueciæ. Sed ſi Galli hanc præ rogativam non approbent, quid futurum credis, niſi ut fœderati, ſi non in partes ſciſſi, ſimultatibus & odiis diſtracti rei benè gerendæ occaſionem è manibus elabi ſinent & hoſtibus præbeant. Utut ſit, univerſa ſimul Germania & Gallia in Principis hujus amiſſione irreparabile damnum accepit. Virtutem incolumem multi oderunt, ſed ſublatam ex oculis quærent invidi, imo communi deplorationis conſenſu prædicabunt. Vivet æternùmque vigebit tanti Herois rerum geſtarum gloria in memoria omnium ſeculorum, cui cum à te monumentum luculenter dedicatum fuit, cum eſſet in vivis, æquum eſt ut pari veneratione parentetur, cum eſſe deſiit. Dabam Amſtelodami 5. Sext. 1639.

Tuus uſque ad aras

Joachimus Vicofortius.

XXX.

XXX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.
Leydam.

AMiciſſime mi BARLÆE,

Rectè me monuiſti de præpoſtera Uſuræ poſtulatione, error fuit in calculo, ut quinquaginta florenos pro viginti quinque poſuerim. Idem ſignificavi Syndico Wevelinckhovio, cui chirographum hunc, ſi placet, tradas pro altero. Uxor meliuſcule ſe hodie habet, non tamen immunis erit à paroxiſmo, ſi homini imperito de ſymptomatibus judicare liceat. Non deſpero nihilominus eam brevi liberatam fore, cum tertiana ſimplex ſit & intermittens. Abſentia tua nos torquet, nec aliam cauſam divinare poſſumus tam diuturnæ apud amnem manſionis & ſeceſſionis Langerodianæ, niſi te amore captum alicujus viduæ vel vetulæ vel juvenculæ: ſi conſilium uxoris meæ ſcire vis. Illa hanc omnino diſſuadet, & decretum tale liberorum exſpectationi minus conſentaneum credit. Ego te provectam ætate ducturum non

non credo, præſertim ſi numeroſa ipſi adſit proles, quin habebis ποινὴν. Ita ſi rectè calculum ponas, ubique naufragium erit. Res Cattalaunenſium peſſimo fuerunt ſtatu, ſed adeo demum favit ipſis rebellio Portugaliæ, ut tempeſtas, quæ magnam mutationem minabatur, ſi non ſedata, ſaltem immunita ſit. Ipſorum quoque Legatos, ſcribunt, rogaſſe Galliarum Regem, ut ſuppetias minores mittat, quam decreverat, quod majore metu liberatos fidem facit. De Luſitanis nihil habemus, quam Philippum ingentem pecuniæ ſummam Capiti Regis Joannis impoſuiſſe, quod hunc ipſum feciſſe dicunt in perſonam Comitis Olivarez. Sedanenſibus interdicta ſunt cum Gallis commercia, quod receptum præbeant Sueſſionum Comiti; qui ſe coram Tribunali ſupremo ſiſtere vult modo idoneè ipſi caveatur carceris periculum non imminere. Rex contra abſolutè vult ut veniat, & contentus ſit ſuo beneplacito. Præſides Bailleul & Mommius, qui relegati ſunt ad Normannos & Pictones, creduntur ipſi faviſſe. Vindocimus Dux puta-

tur

tur venire in aulam, ſuſtinens accuſationem Eremitarum, qui aliis quoque criminibus convicti ſunt, non admitti debere contra ſuæ ſortis Principem. Quidam credunt illum Sedanum quoque ſeceſſurum. Beverweerdiæ Dominus cis paucos dies Hagæ exſpectatur cum mandatis Regiis, quæ ſecundi itineris occaſionem præbere poſſunt. Te quam optimè vivere & cum viduis valere jubeo. Dabam Amſtelodami 11. Februarii 1640.

Amicitiæ & virtutum tuarum
perpetuus Cultor

J. VICOFORTIUS.

XXXI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Leydam.

CLariſſime Vir atque Amicorum jucundiſſime,

Eo-

Eodem, quo à nobis diſceſſeras die, hunc, quem vides Panegyricum ſtellæ à D. Braſſetto accepi. Viſum fuit ei adjungere Epiſtolas Balſaci Latinas unà cum Gallicis excuſas. Suppeditabit adhuc alia Cl. Wouwius Hagæ non abſimilis materiæ aut ſaltem ejuſmodi, ut uſui tibi eſſe poſſint. Mandata Principis meæ hoc mihi negotium imponunt, ut in caſtra ad Principem Auriacum ocius me conferam. Inde Calcariam fortè ibo, vix rediturus ante finem hujus ſeptimanæ. Tu interea vale & fruere votis ad invidiam felicibus. Dabam Amſtelodami 29. Quint. 1640.

Amicitiæ tuæ & Virtutum
perpetuus Cultor

J. VICOFORTIUS.

Niſi grave eſt, officia mea prolixè offeres Nobiliſſimo D. Schonkio, ut & cæteris amicis S. P. meo nomine dices, præſertim Nobiliſſimi Satrapis, Bergii Dynaſtæ, & lectiſſimis Viduis, cum quibus ſi partem ſolido demeris de die, vide ne baſiorum & oſculorum obliviſcaris. Conſtans rumor eſt Claſſem

Indi-

Indicam Hiſpali incolumem adpuliſſe, quæ prædæ noſtris & Luſitanis eſſe potuiſſet, niſi fatalis quidam torpor occupaſſet Ordines. Segnius expediunt commiſſa negotia plures.

XXXII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

AMiciſſime Vir,

Cùm D. Syndicus Weyelinckhohovius mille quinquaginta florenos proximo menſe pro D. Salmaſio mihi perſoluturus ſit, rem gratiſſimam mihi præſtabis, ſi ex ipſo inquires quo tempore ſchedula accepti tranſmitti debeat. Si eouſque permanſeris Leydæ, te rogabo, ut idem officium, quod anno ſuperiore præſtitiſti, denuò præſtes. Vale.

T. J. VICOFORTIUS.

Cum ad Principem proficiſci animus ſit, non abs rè putavi, ſi receptionis formulam in omnem eventum mitterem.

XXXIII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

NObiliſſime Vicoforti,

Sto ad Rheni ripam, inter Romanorum caſtra & arces: illud ſæpe cogitans, non minus regnis imperiiſque, quàm fluminibus ſua eſſe divergia. Non idem ubique, qui fuit olim, Rheno eſt alveus, nec eadem hic imperii facies, quæ fuit ſub Quiritium Imperatoribus. Ignota jam hic Romanorum nomina, & cum fluviis retracta & accisa, imo abolita illorum poteſtas dominiumque. Tenemus Ordinum titulo eas terras, quas alio poſſedit Latium. Fruor hic eo aëre, qui ſereniori menti convenit, & nebulas animi diſcutit, & quidquid torpidum eſt ac ſegne & remiſſum erigit, excitatque. Fui Hagæ-Comitis, ubi, abſente Domino, luſtravi ædes Hugenii mei, ad Vitruvii leges exſtructas. Vidi atria quadrata, gradus conſcendi laxos commodoſque, ſphæras adhuc quatuor fumariis altè impoſitas,

poſitas, quibus fumum ſuum aulæ exprobrat induſtrius conditor. Vidi hortum, ob loci ſitum, in triangulum malè coactum, equorum etiam ſtationem, Cellas promas & condas Cereris ac Bacchi, Muſæum eruditæ pueritiæ ſacrum, quibus viſis dicebam mecum:

Hæc ſunt Naſſovii bene nata palatia Scriba
Fultaque non unâ nobilitate domus.
Digere, Vitruvi, lapides & ſaxa; perennem
Quod facit hanc, in ſe maximus Hoſpes habet.

Etiam, cum iſthic eſſem, conſpexi ſurgentia culmina Comitis Mauritii, qui dum in Occidente militat, in Septentrione ædificat, & gloriæ ſuæ commodiſque receptaculum parat illuſtre. Prætorium uſque Principis, quod Ryswici eſt, vidi attonitus, & Arauſionenſis magnificentiæ monumentum grande oculis uſurpavi. Reſpondet ſumptibus opus, & operi ſumptus, quæ virtutis iſtius prima & ultima lex eſt.
Hinc

Hinc digreſſus Lugdunum Batavorum, veterem Muſarum mearum ſedem: viros doctos compellavi, non unius illos indolis & genii. Exceptus ſui magno apparatu à generoſiſſimo Domino Barone Kinſki, qui in valetudinem tuam inquiſivit ſtudioſius. Volebat me prandii ſui conſortem, ſed cum dentes addixiſſem alteri, dolui non poſſe me iiſdem maxillis apud plures edere. Jam apud magnificum virum Dom. Schonckium verſor, ubi cum arboribus & plantis incrementa capiunt prædia ipſa & villæ magna acceſſione auctæ. Inter has voluptates, gaudia & feſtivitates, riſus ac jocos amicorum, illud dolori eſt, quod tuo me adſpectu mulctet me præſens fatum, & felicitatem meam flagellet amicitiæ tuæ durâ ἐλλείψει (*intermiſſione.*) Heri apud Ampliſſimum Dominum Surckium cum Satrapa Muydenſi & D. Hoofdiâ pranſus ſum. Cras Illuſtriſſimum D. Camerarium inviſam, qui me Alphenum per filium humaniſsimè invitavit. Sic poſtquam per omnium hominum ordines circumduxero feriantem animum & curis omnibus expeditum, ad lares meos & Te, Virorum cordatiſſime,

cum

poſterius Braſetti eſt, ſi materiem ſpectes; ſi numeros & verba, Barlæi tui. Utrumque exoſculare, ut ſoles me. Nolo eruditiſſimo Braſetto, invito Domino, ſuffurari inventum ſuum. Verum ſi transactione illud meum eſſe velit, vel emptione, vel mutuo, vel commodato, vel donatione inter vivos, ſubjungam illud Poëmatio, quod in victam Hiſpanorum claſſem ſcripſi. Si emptione meum eſſe patiatur, redimam optimi viri indulgentiam alio, cum res feret, Epigrammate. Si ex velleris aurei eſſem ordine, glomos pretioſæ iſtius lanæ transmitterem. Nunc repertum iſtud aureum redimam Muſarum opibus, & officioſa gratiarum actione: cui ſi, humaniſſime Vicoforti, gratiæ tuæ nonnihil adſperſeris apud agentem res Galliæ, compos voti fiam, præter votum. Cupio te videre ad undecimam in ædibus pictoris Baudringenii, ut videas qua fronte, qua patientia premam pictoriam ſellam. Adeo ad vivum expreſſit vultus meos, ut dubitem, an prototypum ego ſim, an tabula. Vale amicorum cordatiſſime, & me ama. Amſtelod. 4. Non. Decemb. 1639.

XXXV.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Nobiliſſime Vicoforti,

Magnam hujus æſtatis partem tecum in amœnitates diſtribui. Dum belligerantur purpuræ, nec finibus ſuis contenta ambitio regna urbeſque patulis faucibus devorat, nos contracto cupidine ea voluptate fruimur, quæ Deorum felicitatis æmula eſt. Legiſti puer apud Homerum, Jovem à mundi curis feſſum ſubinde ad Afros & Æthiopas commeſſatum deflectere. Legiſti, eum modò in Cretam patriam ſuam ruſticatum abire, modò Junone ſpreta in Theſſala Tempe ad Penei fluminis ripam ſecedere. Quod ſi hæ voluptates Deos capiunt, quid ni nos homunciones, quorum gaudia tot calamitatibus indies flagellantur, quorum ſanguini admixtus eſt ſuccus iſte nigræ loliginis, eos

eos captabimus locorum ſeceſſus, in quibus nec de nummi valore controvertitur, nec quid diſcrepet à Stoâ Peripatus, à Socratica barba palliolum Cynicum, anxie diſquiritur. Fui tecum Muydæ, ubi Hoofdius, Leonora, Suſanna, Conſtantia, egregiis exemplis magnarum virtutum documenta nobis dedere. Equidem in Hoofdio præter facundiam, prudentiam, comitatem, admiratus ſemper fui priſcam illam morum ſimplicitatem, nec fluxos hujus ſeculi ritus, quibus vicina Gallia Batavorum conſtantiam expugnat, & in Proteos transmutat. In Leonora, tanti viri conjuge, Cornelias, & Sempronias, & Placidias, & Flaccillas, & Serenas adſpicio; hoc uno ab illâ diſpares, quod à magnis virtutibus ſecreverit grande ſupercilium, nec pro dote triumphos numeret. Suſanna comis eſt ſine fuco, diſerta ſine arte, modeſta ſine affectatione, ſine oſtentatione ſciendi avida. Conſtantia primam virtutem putat, omnes complecti poſſe, & diſſimulare ſingulas. Poſtea in villa Domini de Tramâ combuſſimus dies aliquot, ambulando,

ridendo, edendo, bibendo. Memini, cum nos exciperet Beverovici facetiarum pater P. de Wilhem, & in agro Dimerio Breenius, ubi in ceraſis hæſimus oculis, manibus, dentibus, totaque epiglottide. Jam, pro dolor, à te, mi Vicoforti, divortium feci & aliis amicis. Permiſtus in Rheni ripa, alium aërem haurio, alium ſuccum bibo, alias terras calco, aliis ignibus uſtulor. De aëre concedes facile, eum hic puriorem eſſe veſtro, qui paludibus ſtagniſque Amſtelæ gravis incubat. Succus, quo hic vivo, mere Rhenenſis eſt, & quidem Moguntiacus, interdum Hiſpanienſis, interdum è Cypro aut Candia Malvaticus. Tuus rubet, & cruento colore terret imbellem philoſophum. Terras hic calco non ſabuloſas, ſed gleboſas prorſus, non arborum fruticumque vacuas, ſed frondoſas undique umbroſaſque. Quod ſi de ignibus ſciſcitaris, oberro hic inter deſertas Creuſas ἄγαμ@ (*calebs*) Profeſſor, & dum plures adſpecto, dum precia ſingularum expendo, & velut ad ſtateram argentariam ſuſpendo, hæreo anceps animi, nec
quam

quam fugiamve petamve, aut quo me vertam, neſcio, ſimilis iis, qui in trivio conſtituti, ſtant, nec pergunt. Modo formoſiſſimam ſaluto, ſed juvenculam nimis, cujus amoribus vix Leander ſuffecerit aut Pyramus. Modo quinquagenariæ arrideo, ſed quam circumſtrepunt pueri innuptæque puellæ, quas ſi meis accenſeas, imperator ero grandis & numeroſæ Reipublicæ. Eſt & alia, quæ me reverenter procantem non dedignatur, verum advocatis cauſſidiciſque fervent limina & porticus. Inter has ſollicitudines poſitus nullum ego colorem imbibo, & oculis meis impero, ne videant vanitatem. Non diſplicet tibi hoc amici tui ſapiens decretum, nec Annæ tuæ, nec Leonoræ Hoofdiæ, quæ amica conſpiratione in ſecunda vota mea conjuravere. Mihi nobiliſſimus Schonckius plenis modiis omne officiorum genus exhibet, cujus ego recentem & crudum adhuc dolorem Philoſophiæ ſeriis monitis, etiam jocis non illepidis, & prorſus ineruditis, caſtigo & lenio. Interea de Atrebatenſi obſidione læta inaudivimus. Habet Gallus miles quod

edat, quod bibat, quo bellaces manus in hoſtem exerceat. Victoriam magnam in ſpe magna habet: necdum tamen victor eſt; nondum inclinationem fecit Mavors. Quam multa inter calicem ſupremáque labra cadant tot veteris tot recentioris ævi exemplis didicimus. Neſcio, an Gallorum ſit, lente feſtinare. Sed videbor Tibi fortè nimis βαρυκέφαλος, (*ponderoſi capitis*,) & ſententias eloqui ultra crepidam. Vale, ſuaviſſime amicorum, & magnum Hoofdium ſaluta, at ante tori tui conſortem incomparabilem. Poelgeeſtæ ad Rhenum, 12 Sextil. 1640.

XXXVI.

XXXVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Viro Domino GASPARO BARLÆO *Joachimus Vicofortius S. P. D.*

QUod ſcribendi officium hactenus diſtulerim, Amicorum jucundiſſime, non eſt ab oblivione dulciſſimæ familiaritatis Tuæ, ſed à pinguiſſimo otio, & quæ illud ferè concomitatur, turpiſſima deſidia. Sive novitas vitæ ſolitariæ in cauſſa ſit, ſive cum ruricolis conſuetudo, haud facile dixero. Ubi Tuas acceperam animus erat reſpondere longiore epiſtola, ſed neſcio quam ob cauſam eo ipſo temporis articulo Hagam eundum fuit. Inſequenti die hoc mihi negotii credidi dari, ut Caſſellas ad Illuſtriſſimam Principem, alioſque ſcriberem. Hanc Tibi ſilentii rationem exhibendam

putavi, nequid ſequius de propenſiſſima mea in Te voluntate & conſtanti amore ſuſpiceris. De noſtra in agro manſione non poſſem adhuc aliud Tibi perſcribere quam ſi Cenſor luſtrum conderet & rogaret, me reſponſurum; ex animi ſententia, ſi Barlæus meus ſimul eſſet. Omnia arrident quacunque verſus oculos conjeceris. Non tamen ego defæcato animo videre poſſum, cum conſortio amiciſſimi mei capitis caream. Veni ergo quam primum & fidem Tuam libera, ut ridere & jocari poſſimus. Expectant Te ceraſa & cæteri fructus, quos tempeſtas anni uberius conceſſit. Non apponam in menſa hædum aut aprum animal ad convivia natum, ſed fabas, piſas, quæ frugalitatis profeſſoribus maximè commendantur. Scriberem plura, niſi adfinis Reuver abitum feſtinaret, & uxor accelerarat prandium. Tu veni quàm citiſſimè cum iis, quos inter chariſſimos habes, nec veni abſque D. Satrapa, ſua conjuge & filiabus. Dabam in prædio Ter Kolven, tumultuariè 14. Sext. 1639.

XXXVII.

XXXVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Viro D. GASPARO BARLÆO amicorum ocello, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Litteras Tuas, Amicorum jucundiſſime, non legi, ſed devoravi. Vix Tibi poſſunt omnes illæ delitiæ, quas aër, aqua, terra, ignis illic ſubminiſtrant, tot voluptates adferre, quot una mihi adtulit epiſtola. Gaudeo & exanimo gratulor, Te votis uſque ad invidiam felicibus frui. Sed & hoc interim cogito, an non nimis longa in iſtis locis commoratio nauſeam tandem adferet diarii & priſtinæ conſuetudinis. Aërem in Rheni ripa habes puriorem, ſed qui adflatus à Creuſis Tuis ſpiritus fortè excitabit acriores, & in ἀφροδίσια ἔργα proniores. Succum generoſiſſimum nobiliſſimi Schonkii Tibi non invidemus, modo non gignat ſanguinem ſuperfluum,

ut tandem excretione, à qua tantopere abhorres, opus ſit. Terrarum & fertiliſſimorum pratorum aſpectum ſuaviſſimum eſſe facile mihi perſuadeo, ſed & hoc incommodi habet gramen, ut ſaltationes feminarum, quæ prono capite & pedibus ſublatis corpus in orbem convolvunt, de die non permittat, nec intempeſta nocte cum ſolâ colloquium, quod vipera facilius tunc temporis infeſtet loca, quæ ſinus abſcondit. De igne nullus dubito, quin vera proferas. Caleſcis plus ſatis, ubi per quindecim dies triplici foco fueris expoſitus. Cavebis interim ne Veſtalium ignem gladio fodias. Baſiolis ità indulgendum eſſe exiſtimo, ut infigas ſingulis citra præjudicium cæterarum. Ubi ad nos reverſus fueris, judicabis, quænam illarum ſuaviſſima habeat labia, quæ majore cum gratia os applicet, & quam proniorem ad tale negotium inveneris. Uxor curioſam illam obſervationem non approbat, ſed pro more ſupercilii ea ſuadet, quæ refrigerii loco eſſe poſſunt. De Atrebatenſi obſidione variè hic diſſeritur. Sunt Bruxellenſes Litteræ, quæ de-
di,

ditionem Urbis decima hujus menſis die factam adfirmant, poſtquam Galli S. Nicolai portam vi occupaſſent, nec cives periculo ſe ulterius exponere voluiſſent. Pontificiæ Religioni addicti & præcipuè, qui partibus noſtris non favent, nihil tale credunt. Hinc certamina & concertationes, quæ craſtino die, ubi nuncius advenit, facilè decidentur. Principem Auriacum Dordracum reverti heri rumor percrebuerat. Facilius ei fidem habeo, quod novæ in Flandria expeditioni intentum credam. Exercitus Cæſaris Vachá, ubi aliquot dies conſedit, movit Hercyniam Sylvam verſus, ut in Ducatum Brunsvicenſem bellum transferat. Pars Copiarum Bingium obſedit & Creutzenacum minatur, quibus Tribunus Roſius Compater meus ſuppetias ferre conatur cum ſeptem Legionibus Equitum. Adpulerunt Stralſundam & Griſiſwoldam ex Sueciâ quinque millia peditum, & expectabatur equitatus. Brandeburgici Francofurtum ad Oderam intercipere conati ſunt, ſed irrito conatu & cum damno. Videbimus porrò quid Hamburgenſes Litteræ hodiè nobis

adportent. Te valere & vivere jucundiſſime cum Nobiliſſimo Schonkio animitus voveo. Dabam Amſtelodami 17. Auguſti 1640.

Neſcio an non nimiæ familiaritati tribues, quod Literas D. Zulichemii aperuerim: dabis hoc impatienti deſiderio, quo tenebar videndi verſus, quos ille fecit. Accepiſti proculdubio, quos Conſtantinus minor transmiſit.

XXXVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMiciſſime Barlæe,
Benè feciſti quod ruris & ſolitudinis ſatur ad populoſæ Urbis magnificentiam Te contuliſti. Sed an rectè itidem factum ſit, inſalutatis nobis ſic abire, penes Nobiliſſimum D. Satrapam & jucundiſſimum Niquettum exactiſſimos amicitiæ cultores eſto judicium. Credo Te ex alto domus Viduarum Leydenſium odo-

odorem una cum rore matutino hauſiſſe, ac ſubinde hoſpitum & jentaculi, quo viatores vacui munire ſolent ſtomachos, oblitum illico in viam dediſſe. Si manſiſſes iſto ſaltem die, vidiſſes hortulanum * Talpam ab aucupio fringillis onuſtum reducem, guſtaſſes turdos meruleſque, quæ gulam provocaſſent Apitii. Illud ſatis meæ infelicitati attribuo, quod eodem mane cubiculum Tuum ingreſſus, fruſtra Te quæſitum non amplius quam quingentis paſſibus remotum ex feneſtra proſpexerim. Clamabam alta voce, ſed nec morantem Philoſophum, nedum reſpicientem videre licuit. Cum hic fruſtra fuerim, libuit pervolvere cartas, quas in menſa reliqueras, ut proſpicerem an inſcriptionem, quam magno Theſaurario promiſiſti, poſt Te reliquiſſes, ſed nihil iſthic repertum. Nudiustertius Comes Arondelius ſumma cum humanitate me excepit, tres filios, quos ſecum adduxit, Ultrajectum Studiorum gratia miſit elegantiarum Patris æmulos. Intra octiduum Amſtelodamum cogitamus, ubi quid Galli moliantur, quid Princeps Auriacus agat ex me uberius quam im-

* *Jan Mol.*

præ-

præſentiarum audies. Vale feliciter & ſalve cum univerſa Familia. Dabam ex prædio Ter Kolven. 3. Octob. 1640.

T. ex aſſe

Vicofortius.

XXXIX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMiciſſime & Suaviſſime Barlæe,
Nihil me miratum fuiſſe de inopinato vel potius feſtinato Tuo à nobis diſceſſu pridem per Literas ſignificavi. Nunc magis miror, Te noſtri adeo immemorem factum, ut de adventu Tuo aut valetudine ne verbum ſcire licuerit. Itane ad Sirenum ſcopulos in via impegiſti, ut illarum pocula vice Lethes Tibi fuerint? Meliora auguror, nec aliam ſilentii fuiſſe cauſſam, quam quod occupatus fueris ſcribendo ad Viduas, quæ ad ma-

teriam

teriam roſarum pertinent, vel referendo iis, quæ apud montem Parnaſſum geſta ſunt. Docere Te velim van der B.am Corollas, quæ vobis Poëtis in convivio communes fuêre, ſolius Catzii * capiti imponendas fuiſſe ſi Italicus audiſſet. Hoc tamen ipſi viduæ ſoli, nec velim ſeverioribus ineptias meas communices. Putavi cis paucos dies Amſtelodamum nos ituros. Habeo quod illic agam, nec fæda tempeſtas anni abitum diſſuadet. Sed intervenit negotium, quod fortè in ſeptimanam ſequentem me detinebit. Habet & Princeps impedimentum, quo minus militem in hyberna ducere poteſt. Gallorum Legatus dimittendum exercitum non cenſet, dum Rex ſuus Æræ obſeſſis ſuppetias ferendo ſerius eſt intentus. Ambiano ad me ſcribunt eum Abbatis-villam & Monſtrolium cogitaſſe, ut Expeditioni propior ſit. Intereſt ſanè communis cauſſæ, ut Ordines Gallorum conatibus ac ſimul Confæderatorum in Germania rebus ſaltem divertendo Auſtriacorum vires faveant. Ferunt Ægeberium Urbis Avienſis

* *Nova nupta apud Romanos Corona redimiri ſolebat.*

ſis præfectum tantam arte excitaſſe in agris pluviam, ut aquæ ſuperfluant majore copia, quam ſi Cælum cataractas diluvio operuiſſet. Hoc Hiſpani Diabolicum inventum vocant, quod ille in Batavis olim didicerit. Melleræus Mareſchallus valetudinis adverſæ cauſſa ad balnea Borbonica profectus exercitui poſt ſe præfectum reliquit Comitem Guichæum, qui honoribus & novo titulo auctus nunc Mareſchallus Grammontius audit. Atrebatenſis Præfectus M. de St. Preux neſcio ob quæ crimina Ambianum ductus fuit, ubi arcem pro carcere habet. Mareſch. Bræzæus jam in Cataloniam, quæ Provincia ipſi tanquam Proregi demandata fuit, profectus eſt, ut novis ſubſidiis Regi fidos confirmet, dubios & nutantes in fide retineat, hoſtibus autem adducat terrorem. Taracona quidem mare jam habet liberum, exercitui tamen Hiſpanico ad interiora Provinciæ aditus manet interclufus propter valida præſidia, quæ Lamottus Audencurtius Conſtantinæ aliiſque in locis poſt ſe reliquit. Cunæum ab Harcurtio Comite in poteſtatem Regis redactum jam proculdubio audiviſti. Si quid ex ſeptentrione

vos

vos habetis, quæ auxilia Succica vel Conventum Stadenſem ſpectant, beabis me, ſi feceris certiorem. Vale, Vir Clariſſime, & me ama, qui amicitiam Tuam religiosè colit. Dabam in prædio Ter Kolven. 8. Oct. 1640.

T. Æternùm addictiſſimus

J. Vicofortius.

Uxor & ſoror Eliſabetha Te Tuaſque filias animitus ſalutant, ſalvebitis etiam à me omnes.

X L.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Amiciſſimoque Viro D. Gaſparo Barlæo, Joach. Vicofortius ſalutem ac Pacem nuntiat.

Amſtelodamum.

EGregium gladiandi artificem ageres, mi Barlæe, cum tanta dexteritate ictus declinare noveris. Putabam Te affi-

affinem culpæ inhoſpitalitatis, & jam me nimiæ humanitatis accuſas, cujus tamen exceſſum non novi, quam adulationem, vitium mihi, ſi unquam odioſum. Miror Te Palladis Urbem tranſiiſſe, non viſis viduis, quibus quidem more perdicum ſatisfieri non poſſet, ejus tamen indolis eſſe credo, ut mallent eſſe Gallinæ quam anſeres. Cum ſumma voluptate legi Filium Tuum Gaſparum ad ſe rediiſſe. Remediis Rotomagi peccatum fuiſſe proculdubio nunc medicorum filii judicabunt omnes. Turdorum aucupium nos hic detinet occupatos, ſpero tamen nos ituros Amſtelodamum circa finem ſeptimanæ proximæ comitatos Nobiliſſimis Groſicciis fratribus quos compotes facere volui ſagaciſſimi animalis Hiſtoriæ, nunquam creditæ, niſi a Poëta perſcripta fuiſſet. Salutat Te Uxor & Familia tota ut & Familiæ ruſticæ, Ter Kolven.

OEconomus.

J. V.

XLI.

XLI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Viro D. GASPARO BARLÆO, Amicorum jucundiſſimo Joachimus Vicofortius S. P. D.

LIcet argumenti nihil occurrat, mi Barlæe, quod ex me audire Tui magnopere interſit, ſcribendum tamen aliquid putavi, ut conſtantis amicitiæ teſſeram à me habeas & ſimul mihi longioris abſentiæ faſtidium eximam. Obverſantur animo meo noctu interdiu, quotieſcumque à curis ſeverioribus liber ad ſe redit, Barlæi mei jucunda alloquia & quotidianæ voces ſeſamo & papavere ſparſæ. Aliquando cogitatione devolvor ad oblectamenta & delicias Tuas: ad bonæ illud mentis ſacellum, aliaque quæ æſtuantis animi Tui fomenta potius ſunt quam remedia. Aveo ex Te ſcire quidnam Litterarum acceperis non ita pridem ab illa quæ elogio Tuo audit Almeriſ-

fax-

ſaxque Pharoſque ſoli: quid etiam cauſſæ fuerit, quod Leydam nuper conceſſeris. An non Nobiliſſimus Schonckius trans amnem Te ducere vult, ubi in Galliam comitari & ingens iterarier æquor non licet? Ut ſcilicet interamnis fias & ad ſecundas nuptias tranſeas? Cave, mi amice, ſi ſapis, niſi ditior æquè atque unctior redire poſſis. Habitat Dæmon in partibus illis, quas ſinus Viduarum abſcondit. Tenebricoſa illa loca tacitus infeſtat, nec rumores ciet, antequam in vincula conjectus fueris. Sed ſuſcitatus ubi erit, illico quietem Tuam, qua ad invidiam uſque frueris, turbabit. Plura tecum de hac re diſſererem, niſi monitores odiſſes & vererer me adſcriptum iri Collegio Patronorum, qui pro liberis Tuis cauſſam agunt. Nihil novi habemus, niſi Principem Auriacum auctum fuiſſe titulo Præfecti Provinciæ Groningenſis, excluſo Guillelmo Naſſovio, qui graviter Leovardiæ decumbit. Conſtans fama eſt Chriſtianum Ulricum Daniæ Regis F. illegitimum in Pago Meynertzhagio ab Ordinum Fæderatorum militibus fuiſſe obrutum & cæſum. Elector Palatinus ad eundem Regem iter inſtituet, ut & frater

frater Mauritius ad Bannierii exercitum. Legatus Galliæ D. de la Thuillerie adhuc exſpectatur. D. de Groſicq atque ego parum hactenus ſollicitationibus profecimus. Opima tamen ſpes nos fovet mandatorum fructum percipiendi. Vale Vir Amiciſſime & me amare perge, qui Te æternum colit. Dabam Hagæ Comitis 22. Octob. 1640.

XLII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS,

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, *Amico non è multis, Joachimus Vicofortius, S. P. D.*

Amſtelodamum.

UT vitæ noſtræ & ſimul amicitiæ ratio tibi conſtet, Amiciſſime Barlæe, ignorare Te nolo me animal ἀμφίβιον factum, nec in prædio nec in urbe amplius habitare, ſed utrobique; non lectum habere cum uxore communem, nec ſeparatum, ſed utrumque, ut diceres

res nos duos in carne una eſſe, & unos in corporibus diviſis. Illa veterem conſuetudinem, more Hamburgenſium, ſolitudinemque amat. Contenta rure & gallinis ſuis oppidi delitias ſpernit & domeſticis ſolummodo curis intenta procul à faſtu & Jovis fulmine, aëre atque animo gaudet defæcatiore. Ne tamen credas omnino otioſam, oportet Te ſcire, illam habere occupationes Reipublicæ ſuæ deſtinatas. Ubi collegit quicquid promiſerat annus, quadrupedem mactari juſſit, cui animam pro ſale datam, ne putreſceret, aſſeruit olim Chryſippus. Quando peſtem & labem larido inferre licebit, Tu dijudicabis an in numero Choirorum, vel Nefrendium, quibus corpora robore eſſe compactiora perhibent, recenſeri mereatur. Nobiliores animalis partes, quæ antiquis in tanto pretio fuerunt, & laſere Cyrenaico, aceto & liquamine temperari ſolebant, Tibi reſervabimus omnes præter vulvam, quam illi triplicem ſtatuebant, Porcariam, ejectitiam & ſterilem. Primiparæ ſuis optimam credidit Plinius (forte & Tibi probaretur, quod viduitatem referat.) Alii præferebant ejectitiam, quæ abortum paſſa erat, qui

qui cum ab interna cauſſa in brutis rariſſimè fiat, violentiam adhibebant, ut gulæ gratificarentur. Nos omiſſo iſto edulio Tibi dabimus porci probè caſtrati ſinciput & pernas. Abdòmen vel ſumen non apponemus, quod mammis deſtitutus ſit, ut per nos liceat Alexandri Severi Imperatoris Legem promulgari, Ne quis ſuminatam ſuem occidat. Succidiarum loco tibi offeremus inſicia ſuis lauta. Tomacula neque Tuceta conjux non confecit. Exſpectabimus viciſſim à Tua liberalitate Botulos Veteraquinos, & ubi defunctus ero negotiis Publicis, dulce erit prolui una Tecum & D. Satrapa Liberi Patris Flore, & reviſis furere amicis. Uxor in procinctu eſt, ut præeat una eum utràque Eliſabetha. Ego interea hinc Tibi perſcribam, quid craſtino die Gallia, quid Germania novi adportavit. Vale Amicorum jucundiſſime cum tota Familia, & me amare perge. Dabam Hagæ Comitis 7. Nov. 1640.

Salveat, niſi grave eſt, Reverendiſſimus & Clariſſimus D. Voſſius.

XLIII.

XLIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Virorum D. GASPARO BARLÆO, JOACHIMUS VICOFORTIUS. *S. P. D.*

Leydam.

QUod coram abs Te petere deſtinaveram nunc abſens & per literas præſto. Habet pro me Cl. Wevelinkhovius mille & quingentos Florenos, quorum ſolutionem promiſit ad octavam hujus menſis. Si parati ſunt hi nummi, vellem hoc oneris meo nomine ſuſcipias, & Tecum apportes. Noviſſimæ, quæ ex Germaniâ venerunt Litteræ, nihil amplius de obſidione Ratisbonenſi loquuntur. Koningsmarkius cum ſex millibus

bus equitum primo ab urbe Lapide Danubium tranſierat, ſed reverſus denuo cum onuſta præda ſe adjunxerat Bannierio. Cæſariani vires ſuas Ingolſtadii recolligunt. Interim Cæſar non alio munitus præſidio, quam duobus millibus peditum & quingentis equitibus Ratisbonæ adhuc hæret de ſecuritate ſua magis quam Republica ſollicitus. Hamburgo accepimus, nobilem domeſticum Theſaurarii Regis Portugalliæ cum pecunia & litteris fiduciariis adpuliſſe, qui omnes arces in novi Regis poteſtatem redactas indicat, cæteraque ex animi ſententia procedere. Adtulit ab ipſo Rege litteras pro fratre ſuo, qui huc uſque in Caſtris Imperatoris fuit & jam Hamburgi exſpectatur. Litterarum inſcriptio hæc eſt: Fratri meo Eduardo Infanti Portugalliæ, Duci Bragantiæ. Exſpectatur hic indies navis Anglica, quæ Uliſſiponâ ſolvit 17. Decemb. cum ducentis Coronatorum millibus, ad comparandum arma aliaque, quæ ad rei bellicæ proviſionem ſpectant. Venient cum ipſa navi, ni fallor, Legati in Galliam, Angliam & Bataviam noſtram deſtinati, El Montero major id eſt, Sylvarum magnus in

F Regno

Regno præfectus, Don Antonius de Alameda & Triſtanus de Mendoza. Ego feliciſſimum adventum illis precor; & Tibi ſimillimum ad nos reditum ut uxor mea, quæ tota ſeptimana febricitavit, conſilio Tuo uti poſſit. Dabam Amſtelædami 8. Februarii 1641.

Salveat à me officiociſſimè lectiſſima Viduarum Overbequia, Tuæque Filiæ.

XLIV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMiciſſime Amicorum.

Ad Litteras Tuas, quas heri accepi reſpondiſſem ilico, ſi commoditas data fuiſſet loquendi Zulichemi Domino. Hodie manè peropportunè eum in Aula inveni, ac per occaſionem ſententiam ipſius ſuper titulo ſciſcitavi. In hoc ambo conſenſimus, ut titulus Principis Guilielmi eo, quo vides, modo verſuum frontiſpicio inſerviat, Principis verò ſponſæ ut pone ſequatur cum copulâ, ac

ſi

ſi ſimul & pari paſſu procederet. De poſteriore deinceps à meridie conſului D. Boſwelium Prolegatum Anglicum, qui Titulos Angliæ Scotiæ & Hiberniæ Regis Filiæ ponendos non cenſuit abſque Franciæ. Cæterum hic quoque perperam dictum putat: *Spes nulla cubili eſt, quod ſocio nondum igne cales*, hac ſola opinione ductus, quod multi ſecius interpretabuntur Tuam mentem, ut opimam ſpem indicent illis, quibus meſſis adhuc ſit in herba. Ego faſces meas in hac ſicut aliis rebus lubens meritoque Tibi ſubmitto non minus quam ſocietatum adminiſtratores facturi ſunt fœderatis Ordinibus. Si uxor non advenerit craſtino die cum D. Satrapa Muydenſi, abibo die Veneris proximo. Interea vale & cum omnibus Tuis animitus ſalve. Dabam feſtino calamo Hagæ Comitis 8. May 1641.

Tuus omni ſtudio & obſervantia

J. VICOFORTIUS.

Tuum erit deſpicere, amiciſſime Barlæe, an convenienter plauſtrum titulorum

attribuatur Principi Juventutis cum inſcriptione minus proportionata pro Regis F. Frontiſpicium adpoſitè ornari poſſet characteribus rubris.

XLV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

Miciſſime Amicorum,

Miſit ad me Zulichemii Dominus mandatum Principis, quo injungitur Theſaurario Volbergio, ut pro Dono Epithalamii, quod Principis Guillelmi nuptiis dicare voluiſti, trecentos Florenos Tibi numeret. Viſum fuit è re Tua eſſe ut apud me Autographum ſervetur donec Chirographum Tuum tranſmiſeris. Interea accipies pecuniam, ſi placet, à Leonhardo meo, ut nullum facias diſpendium temporis. Non abs re erit ſi moneas Hugenium, ut Princeps ex ipſo ſciat non minus gratitudinem Tuam quam Celſit: Suæ liberalitatem claudicaſſe. D. Boſwelius hodiè mihi adfirmavit verſus Tuos in Angliam rectè cu-

curatos fuiſſe. P. Guillelmus incolumis cum comitatu adpulit atque ilico Buram, & ad Celſiſſ. Parentem in caſtra ſe contulit una cum Legatis , ex quibus Henfliti D. hæſit in villa ſua una cum Junone brevi illam huc adducturus. Indubiè audiviſti Gennapium obſidione fuiſſe cinctum. Tribus millibus ſubſidiariorum munitum eſſe volunt ſub ductore Præſtono Hibernorum Tribuno. Qui ex Anglia venerunt , dicunt Regem in Scotiam cogitare. Scripſi die Lunæ præterito Rothomagum, ut curam Filii Tui habeant eique ſuppeditent , quod neceſſe habeat. Vale Cariſſime Vir cum Filiabus Tuis. Dabam Hagæ Comitis 12. Junii 1641.

Tibi æternum addictiſſimus

J. VICOFORTIUS.

XLVI.

J. VICOFORTIO

G. BARLÆUS.

DUm tu, mi Vicoforti, amœnitatibus prædii tui frueris, ego abſentia tui mulctor crudeliſſimè. Quod malum nunc me coquit & verſat ſub pectore fixum. Quid agam? hæc Philoſophiæ lex & vis eſt, poſſe frui, poſſe carere ad tempus amico. Concoquendus mihi fuit & eſt etiamnum acerbiſſimus viduitatis dolor: concoquam & hunc. Nec dubito, quin & tibi moleſtnm ſit, non accingi enſe Vondeliano, quem me tibi eſſe finxit allegoricus & hyperbolicus poëta. Diſcam ego & aſſueſcam ferre abitum tuum, qui ferre deberem obitum. Nec abes prorſus, quem præſentem, ſcribentem, jocantem

tem, prandentem, mecum ambulantem animo circumfero. Noſti illud poëtæ magni:

Abſens abſentem auditque videtque.

Si oculis te non aſſequor, adſequar literis, quæ pro alis mihi erunt, quibus ad te transferar. Scribebat olim Tullius ad Quintum fratrem Aſiæ proconſulem: Cum tua lego, te audire; cum ad te ſcribo, tecum loqui videor. Neſcio an Athenis, an alibi fuerit Epicurus, cum ad amicum ſcriberet: ſic fac omnia, tanquam ſpectet Epicurus. Certe in Campania erat Annæus Seneca, cum ad Lucilium in Sicilia degentem ſcribens, eum hortatur, ut ſecum ſtudeat, ſecum cœnet, ſecum ambulet. Quod facere nec ille aliter quam animo potuit, nec ego facio. Nonne abſentem Balbum in oculis gerebat Cicero, quamvis ille in Galliis ſub Cæſare militaret? Abſentibus Evandro & Pallante, canit de Ænea Virgilius,

- - - Pallas Evander in ipſis
Omnia ſunt oculis.

Dicam & ego, Vicofortius hiſce hæret adhuc abſens oculis. Ruri habitas, ſed ad aulam factus. In agris ambulas, ſed Principum negotia curas. Viridariis delectaris, ſed aliter, quam Tiberius ſuis Capreis. Honeſtas voluptates capis inter ruricolas Melibæos & Damœtas, quod & fecit Scipio Africanus princeps ille Romanus. Inter arborum quincunces & hortorum quadras & pulvillos incedis, quod & fecit in Tuſculano ſuo Arpinas: ubi vel Philoſophiam meditabatur, vel ob patriæ ſtatum lætum triſtemque gaudebat vel dolebat. Nec dubito, quin idem hoc facias tu: licet de philoſophia ſuavius cogitare poſſes, me præſente, cui ex hoc ſucco vivendum eſt. Amas illic videre armenta gregesque. Sed aut male ego calculum poſui aut amicum me videre malles, quam cornutas beſtias. Simia illic gaudes, vel cercopitheco. Sed cave, ne oſculantem te videat conjugem: nam imitari amat in-

ingenioſiſſima beſtiola, quidquid videt. Pavonem forte alis, avem viſu pulchram, ſed tartareâ voce horribilem. Piſcinas tuas laudas: laudabo & ego ubi piſces eſſe licebit. Utinam illæ oſtrea alerent, uti alebat in vivariis ſuis in Bajano littore dis Lucullus. Aves cantillantes audis, ſed non cantillantem me, ſive epos mihi pangere libeat, ſeu Lesboüm digitis tendere barbiton. Nutris gallinas & gallinarum pullos, quorum generatio debetur gallo. Utinam tu pullos aleres tuo de ſanguine natos. Hoc futurum ſpero, quia columbis illic affluis, quæ tibi perpetuis oſculis inſpirant mollem per pectora amorem. Sed deſinam ſuaviſſime nugari & jocari; quia neſcio, an ſupercilium ſumpſeris ex Curiæ utriuſque & tot aularum vicinia. Interea me & D. Satrapam expecta, ubi amicis tuis fratribuſque litaveris. Væ ceraſis tuis, væ pyris, væ pernis, quanta ſumini erit ægritudo, quanta peſtis larido, quanta piſcibus tempeſtas, ubi venerit ad te famelicus Barlæus. Fac me participem rerum novarum, ſi placet, tribus verbis, præſertim quid judicent ſapientiores de fatali

hora deditionis Gennepæ. Vale, amicorum erectiſſime & candidiſſime, & ſummos viros D. Braſettum, & Boswellum ſaluta. Raptim Amſtelod, 10. Jul. 1641.

G. BARLÆUS.

XLVII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

POſt longos errores terrâ fluminibuſque, tandem ſoſpes domum veni. Fui, ubi non fueram, vidi, quæ non videram, terras tetigi intactas hactenus, locutus fui cum Bructeris, Sicambris, & Druſianæ foſſæ accolis. Steti iis locis, ubi Roma aquilas defixit, ubi Druſus, ubi Corbulo foſſas fecere. Legi oram Vahalis, & Tielam, Bommeliam, Bu-

Buram luſtravi. Ne mirare tardius iter meum proceſſiſſe. Accidit mihi, quod Ulyſſi: incidi in Circen, in Calypſon, in Polyphæmum, in Læſtrigonas, verum honeſtiore titulo. Nec defuit legata à latere, jam virgo, jam viri non inappetens vidua. Docui hos, num cœlum ſtet immobile, num terra; quod elementorum quatuor maxime amoribus ſit conveniens: ut creaturæ omnes æthereæ & ſublunares amantium ſint ſymbola & characteres: quomodo perdices, quomodo piſculi ament: an amor conſtet ex punctis indiviſibilibus, an continuitatem amet: an ſuavius ſit amare, an amari: oſculari, an oſculum pati: an amoribus aptior ſit nobilis, an mercator, an theologus, an philoſophus, an poëta. Quid deciſum ſit, non ſcribam, ne longior ſit epiſtola, quam brevitas commendat, præſertim cum iis ſcribendum eſt, quos aula moratur & publica reſponſa. Literas tuas domi meæ offendi, una cum Elogio Richelii, Hiſpaniſmum & Barbariſmum redolente. Tu Hagæ dum expoſcis ſuppetias obſeſſæ urbi, fruſtra es, mi Vicoforti. Nihil

dicam amplius. Aut ſeipſam defendat oportet, aut aliunde auxilia exſpectet, aut, quod auguror, mutabit dominum. Sed quam male rebus ſuis conſuluere Galli, quod obſidentes obſeſſi jam ſint, & recente victoria triumphum canere prohibeantur. Verum nondum fabulæ iſtius videmus cataſtrophen. Neſcio an delineationem hanc urbis Ariæ videris: tibi illam habe, niſi jam habeas accuratiorem. Me videbis, ubi trans pontum vectæ volucres tibi præda eſſe volent & deliciæ. Laqueos para, quibus illaquees inſontes. Ego feriarum & otii ſatur jam Palladi & Phœbo reddor. Tu, virorum & amicorum ſelectiſſime ſalve & vale, cum thori ſocia & amicis. Amſtelod. ipſis Cal. Septemb. 1641.

XLVIII.

XLVIII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

NObiliſſime Vicoforti, ſcriptor expeditiſſime,

Faceſſant viduæ, & illices iſtæ voces, quarum me cura nimis diu momordit. Tempus eſt, ut Sapientiæ monitis iſtam inſipientiam jugulem, & quietem mihi imperem, quam oderunt iſtæ. Cum apud vos ſum, in agris, ſub Jove frigido, facile obliviſcor iſtius ſexus, quam tamen indigentiæ noſtræ opitulari voluit prudentiſſima Natura. Verum cum in publicis theatris, & amicorum menſis latus forte claudo levibus violabile telis, redeo ad ingenium, & ſentio me nondum ejuraſſe bonam mentem. Quid facias homini nec effæto nec fatuo? ad fatum confugio, & quo illud trahet retrahetque ſequemur. Eſt hoc deſperantium ſæpe ſolatium: cum prudentia deficit, Dis imputamus rem male geſtam. Sed quam lætor tuâ ad nos remi-

remigratione. Adventas, priuſquam venias, & craſtinum illud vehementer amas. Quæ nova penultimis litteris ſcripſiſti, prælegi Domino Satrapæ, aliisque. Panegyris magni Richelii ſub prœlo eſt, magnifico illam charactere excudet Blaeuvius. Habet effigiem Cardinalis æri inciſam, quam præfigere vellet, cum hoc, quod ſubjunxi, tetraſticho. Cogita una cum ampliſſimo Braſetto, num digna tanto Principe breviter dixerim, & an probetis præmitti effigiem, nec ne. Etiam frontem Operis inſignibus Cardinalis ligno inciſis exornare inſtituit, niſi vos Trebatii diſſentiatis. Sed de his dabitur occaſio diſſerendi, ubi ad nos reverſus fueris. Quoties clarum mane feneſtras intrat, videor mihi videre te ambulantem per hortum, & ſummo colligentem ſtudio ſuſpenſa è laqueis cadavera, & laceros turdorum artus. Interea, dum thori conſors caligas pedibus aptat, & verum eſt illud Maronis: *Pone ſubit conjux*. Optarem Poëmatio meo inſeri poſſe liberationem Æræ. Sed vincit ſpem metus. An verum hoc: laxatos per univer-

verſam Galliam carceres & ergaſtula, ut ſervorum & perditorum hominum audacia ſuccurratur obſeſſis? Fecere hoc Romani, ſed conclamatis rebus. Vale amiciſſime, & uxorem, ſororèmque ſalutationis meæ aurulâ è longinquo involve. Amſtelodami 14. Octobris, 1641.

G. BARLÆUS.

XLIX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

QUid hoc rei eſt, mi Vicoforti, quod tam operoſe & diſerte ad me de Sue perſcribas? à cujus ego indole alieniſſimus ſum. Nulli prodeſt ſûs, niſi mortua: ego mortuus nulli prodero. Non callet vel Rhetoricam vel Poëticam ſus: ego utramque mediocri-

criter. Grunnit ſus, & luto gaudet: ego modulor, & Muſarum nitorem elegantiamque, etiam tuam, amo. Sus, ſi ſurſum adſpicere cogatur, ſilet, & ἄφωνος (*muta*) redditur. Ego cum cœli convexa intueor, canere occipio, & ſuis creatorem dignis laudibus celebro. Illa ſacra eſt Baccho, ut & capra, cujus vinetis nocent ambæ. Ego ſacer ſum Apollini, cui innoxios pango verſiculos. An de ſue loqueris, ut ob fœcunditatem ejus mihi exprobres liberorum frequentiam? an ob ſuis laſciviam mihi exprobrare vis liberiorem vocem de perdicibus, & gallinarum anſerumque comparatione? An porcum mactaſti, uti amicitiæ noſtræ fœdus hac hoſtia ſancias? memor iſtius Maronis:

Et caſa jungebant fœdera porcâ.

An vis me de Epicureorum eſſe ſecta? de qua Flaccus: Me pinguem & nitidum &c. An potius de Pythagoreorum? qui animas voluptuariorum,

Suis immunda pingues detrudit in artus,

Ut eſt apud Claudianum. Non vis, opinor, me Arcadibus & Bœotiis annumerare, qui proverbio locum fecerunt ὗς βοιώτια. (*ſus Bœotia.*) iſtiusmodi pecora non ſcribunt Panegyricos Cardinalibus. Sed video facile ex litteris tuis, quò tendas. Ad ſinciput, & pernas me invitas: non abnuo. Modò non transformer in ſimile ſinciput. Eſt enim indocile valde, nec elephanticas artes capit. Palæmon Grammaticus mordax doctiſſimum Varronem vocabat litterarum porcum, cum multa undecumque congereret ſine delectu & judicio. Talis haberi nolo. Itaque in pernis malo exercere dentes meos, quam in ſincipite: longius enim abſunt à ſuilla fronte. Doleo ſane porcam tuam caruiſſe uberibus, hoc eſt delicatiſſima ſui parte. Nihil enim magis in deliciis erat Romanis ſumine, hoc eſt, ſuis abdomine. Interdicta legi apud Plinium, cenſoriis legibus abdomina, teſticulos, vulvas, & ſincipitia verrina. Verum hæ leges, mi

Vi-

Vicoforti, non obligant fratres ſociosque Imperii Romani. Pridie Kalend. Decembris, nuptiarum ſuarum memoriam epulo celebrabit Satrapa Muydenſis. Fac adſis cum conjuge, ne tanta felicitate excidatis ambo. Exſpecto, ut nova perſcribas è Gallia & Germania, poſtquam erudite ſatis de Gryllo philoſophatus es. Vale, pectus amiciſſimum, & chariſſimam tuam Penelopen, cognataſque meis verbis ſuaviter ſaluta. Zulichemi Domino me totum offer, & dic Tragœdiam hic recitatam, authore vitriario, homine omnis litteraturæ & Græcæ & Latinæ ignaro, cujus vix pudeat ipſum Sophoclem. Stupent mecum Hoofdius, Burghius, Vondelius, & quibuſcumque vis eſt tanta dignoſcendi. Amſtelodami 10. Novemb. 1641.

L.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

Legi, dilectiſſime Vicoforti, faſtos tuos & rerum geſtarum hic illic periochas, quas Satrapæ Muydenſi miſiſti. Totam Europam perambulas, & Regum Principumque fata proſpera adverſaque diſertâ oratione enarras. Dominus Satrapa ex iis quid fugere, quid imitari habeant populi rectores, politicorum more, colligit. Ego ſupra verſiculos meos & Poëtarum commenta nec ſapio, nec ſapere cupio. Quin hanc maximam ſapientiam puto, quæ aliena eſt à ſtrepitu, à cædibus & innocentum injuria. Tu aulæ propior alia agis & cogitas. Ita cicadæ rore, apes melle, chamæleon aëre aurulaque paſcitur. Non eadem omnes appetimus, aut fugimus. Nec eoſdem planetas rectores habemus. Tibi imperat Jupiter inter Deorum cœtus vivere ſuetus. Mihi, ut verum fa-

fatear, imperat Luna, quia cum lunaticis viduis fabulari amo, & vultus earum intueri, nunc ecclypticos, nunc pleno fractoque lumine fulgentes. Tales ſunt matronæ iſtæ inopes viri ſociique cubilis. Sed quid ſuper his apud Te nugor, cum cæſos exercitus, captum Lamboyum & triumphantes Wimarios audiam. Divident hujus victoriæ laudem commodaque Celtæ & Catthi. Ego illam magni æſtimo cum Archiepiſcopatus Colonienſis pateat Gallis, nec metus ſit, ne Hiſpano cohortes iſtæ primo vere in ſuppetias veniant. Etiam humiliores hac clade erunt Aquilæ, & proniores ad pacis ſtudia. Rediit domum claſſis, quam Luſitanis in auxilium miſerant Potentiſſimi Ordines. Nihil geſſit, præterquam quod Tagum viderit pro Vahali & Moſa. Sed quando huc iter parat Zulichemi Dominus? ad Gratiarum conventum, de quo meliora mihi promitto, quam de pacificatoribus Weſtphalis. Noli abeſſe. Litabimus hilaritati & Teſſalicas artes advocabimus, ad incantandos animos eorum, qui

man-

manſueſcere, niſi cantu, nequeunt. Urbis hujus pomœria deducentur in Yam, & latius habitabitur ad fluenti ripam. Deſidero ſcire an Poëma meum in Galliam pervenerit, an mari abſorptum perierit. Legent illud Naiades, ſi non poſſunt Druidæ. Vale, Vir nobiliſſime, & Zulichemi Dominum, D. Braſettum alioſque amicos officioſe ſaluta. Amſtelodami 25. Januar. 1642.

LI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Clariſſimo Viro Domino GASPARO BARLÆO *Joachimus Vicofortius S. P. D.*

Amſtelodamum.

Silui diutius quam par eſt, nec confugiam propterea ad excuſationis diverticula, certus amicitiæ noſtræ pondus

dus ex ſtatera ſilentii vel ſcriptionis non pendere. Ingenue confiteor meram deſidiam fuiſſe, quæ me huc uſque detinuit, ſed vitium eſt non minus familiare iis, qui aulas frequentant, quam uſuræ, qui mercaturam exercent. Quiſque ſuos patitur manes. Si Luna Tibi aliquando ſic imperat, ut à Lunaticis viduis abeſſe non poſſis, ſcias velim me Saturno obnoxium & tarditatem quamdam trahere ex influentia iſtius aſtri. De victoria Hulſana rectè judicas. Magni momenti res eſt, hoſtes ad internecionem cædere. At ego majoris æſtimo ita triumphare, ut victoriæ veſtigia quotidie ante oculos habere poſſis. Hoc fit, ubi victi vitam militia paciſcentes ſub victorum vexillis ultro merentur. Dominus Groſiccius, qui prælio interfuit, & equo, quem ipſi dederam, ſuperſtes evaſit, illorum numerum bis mille ſuperare ſcribit. Poſt tam felicem armorum ſucceſſum Noveſium aliaque oppida in fidem noſtrorum accepta fuiſſe procul dubio audiviſti. Quædam etiam copiæ à Taupadelio & Roſio cæſæ & profligatæ. Jamque univerſa Provincia Vimariis & Cattis

Cattis ita patet, ut de hibernis non amplius ſint ſolliciti, nec metus ſit expulſionis. Hoſpites iſti facilius excluduntur quam expelluntur, atque hoc nomine Archipiſcopum apud Cæſarem malè audire dicitur, quod tempeſtivè tranſitum per Rhenum non prohibuerit. Adpulit hic Vimarienſis Centurio cum 157. ſignis ab hoſtibus captis, ut in Galliam & ad Regem ea tranſportet. Noviſſimæ litteræ adportarunt Majeſtatem ſuam in procinctu fuiſſe ut iter Lugdunenſe capeſceret. Non conſtat adhuc an ad Cataulonenſes, vel in Italiam ſe transferat. Illud certum quocumque loci venturum præſentia ſua expeditionibus pondus adlaturum. De Luſitanis nihil boni auguror, quod contra hoſtem attritum & pluribus locis impeditum movent, & nihil promovent. Inſtandum erat famæ, nam ut prima ceſſerint, univerſa creduntur. Adde quod nervis rerum gerendarum deſtituti onus tam grave longo temporis ſpatio ſufferre non poterunt. Ordines de novis ſuppetiis proximo vere mittendis deliberarunt, ſed quid decretum ſit neſcio. De Anglia mira nobis narrantur. Ordines in eo ſunt ut dele-

lega-

legatos mittant, qui diſſidiis inter Regem & Subditos componendis deſtinati mediatorum numero fungentur. Aiunt Theſaurarium Braſſerum duoſque alios jam pridem nominatos. Zulichemi Dominus, qui impenſe Tibi favet, libellos hoſce ad me miſit Tibi ac Domino Satrapæ, quem officiosè ſalvere jubeo, communicandos. Non ibit Amſtelodamum, quin operam dabimus, ut Deipnoſophiſtarum conviviis intereſſe liceat. De Poëmate Tuo hodie vel craſtino die fortè habebimus nuncium. Spero talem fore, ut Cenſori roganti reſponſurus ſis: Ex animi ſententia. Interea te optime valere opto. Dabam Hagæ Comitis 8. Feb. 1642.

Uxor Te Tuamque familiam animitus ſalutat.

LII.

LII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS,

Clariſſimo Amiciſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, *Joachimus Vicofortius S. P. D.*

Amſtelodamum.

NOn morabor Te prolixiore epiſtola, ne diarium apponam poſt Nobiliſſimi Zulichemi aſellos. Cum inciderim fortè fortuna in D. Carteſii ſcriptum contra Pedanum Theologum, vel potius Pedantem Ultrajectinum editum ſub nomine H. Regii, Tibi communicandum ideo duxi, quod unus à veterum Philoſophorum ſententiis longius aberret, alter in modeſtiæ & moderationis cancellos impingat. Beabis nos ſi opinionem Tuam libere impertias. Retuli D. Zulichemio quid infortunii acciderit elegantiſſimæTeſſelæ, cui pro emplaſtro erit commiſerantis epiſtola, vel potius verſus,quos dolor Tuus à Muſis nolens volens impetrabit. Si quid lætius illæ ſuggerunt, ad incudem

ea revoces licet, ne potiore tractentur conditione quam innocentiſſima vidua. Exſpectatur adhuc cum ſummo deſiderio Angliæ Regina unà cum conjuge Principis Guillelmi; ita hanc ipſe Rex noviſſimis ſuis litteris nuncupat. Doveram ambas adpuliſſe Heenflitii D. jam pridem 26. Februar. perſcripſit, ita ut dubitationis non amplius detur locus, licet ſint qui credant multa poſſe cadere inter calicem ſupremaque labra, præcipue quod totum hoc negotium pendeat à tribus inconſtantiæ ſymbolis, Fœmina, Vento, Parlamento. Tu me Tui amantem & amicum conſtantem crede, & vale cum tota familia. Dabam Hagæ Comitis primo Quadrageſimarum die. 1642.

Si quid de adventu Reginæ communicandum Nobiliſſimo Hoofdio credas, id cominus imperti.

LIII.

LIII.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

GRatias tibi maximas ago, Nobiliſſime Vicoforti, quod chartas illas polemicas mihi tranſmiſeris. Legi ea aviditate quâ recens advecta oſtrea ſolemus vorare. Verum, ignoſce faſſo, non tanti apud me ſunt Formæ ſubſtantiales aut eſſentiales, ut jam tempeſtivum putem aperire ſententiam. Scis, nec eum me eſſe, qui Ariſtotelem inauditum damnare poſſim, nec eum quoque qui in verba ejus juraverim. Habeo quædam dicenda ad ſententiam doctiſſimi Carteſii, ſed dicam, ubi erit opportunum, & plura planiuſque locutus fuerit. Statim ab abitu tuo tribus me viduis expedivi. Exceſſere omnes adytis. In Teſſelæ ocellum ſiniſtrum ſcripſi querelam, veſtro hortatu. Ubi legeris, da Zulichemi Domino. Placuit Satrapæ. Ejus lectionem noli invidere Domino Braſetto, & ſi res ita feret Domino Catſio. Vale amicorum integerrime

pulo, & ſi deſiderio Tuo impræſentiarum non ſatisfecerim, credes, rogo, me abſentiam Tuam impatienter ferre. Vale & ſalve plurimum cum viduis, omnibuſque qui ſunt mei amantes, imprimis Nobiliſſimo Schonkio officia mea, niſi grave eſt, deferas. Dabam feſtinanter, Amſtelodami 26. April. ipſis ni fallor Floralibus. 1642.

Silentium Tuum apud Illuſtriſſimum Thuillerium excuſabo.

L V.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, Joachimus Vicofortius S.P.D.

Amſtelodamum.

SI peccaſſe apud Te videar, Amiciſſime Virorum, quod ad ternas Tuas ſerius reſpondeam, hoc nomine veniam mereri mihi perſuadeo, quod diſtrictus fui occupationibus, neque per anguſtiam temporis Tibi ſatisfacere, nedum mi-

himetipſi licuit. Heri ubi bene potus domum veneram, Leonardo meo in mandatis dabam, ut per Kempium Te de itinere Reginæ certiorem faceret. Abitura eſt die Solis proximo à prandio & pernoctura Goudæ, ut ſecundo Vianæ, & tertio Buræ. Pulcherrimum erit videre diſpoſitas per campos peditum centurias & cataphractorum legiones, quia nunquam majore pompa comparuere. Animus erat Te comitari uſque Sylvam Ducis, in cujus fere conſpectu luſtratio fiet, ut inde me conferrem unà cum D. Croſiccio ad Comitem Eberſtenium copiaſque Haſsiacas. Sed retinet me adhuc Tua circa Pentecoſtæ Feſtum exſpectatio, ne me privem majoribus deliciis. Mulierem, quam commendaſti, juvi quantum potui. Zulichemius noſter retulit Principem non potuiſſe aliter agere, quam informationem à Prætore Beverovicenſi prius habeat. Si illam poſſit habere favorabilem, ſine ullo negotio à Celſitudine ſua veniam impetratura eſt. Vale, Vir ampliſſime, & ſalve cum tota familia. Dabam Hagæ prid. Kal. Jun. 1642.

Accepi ab D. Legato Grotio animadverſiones in animadverſiones And. Riveti, quas propediem ad Te mittam. Addidit epiſtolam breviſſimam ad Jac. Laurentium.

LVI.

LVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. Gaſparo Barlæo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

LOngiore epiſtola patientiam Tuam non morabor, quod brevitas temporis impræſentiarum id vetet. Jam ſeriò ad vos cogitamus, ſed cum incerti ſimus de die, integrum Tibi erit Beverovicum proficiſci. Si forte ante reditum Tuum Amſtelodamum venire liceat, Te certiorem ilico faciam, ut conſtituto & eodem die in Bamæſtræ agro convenire poſſimus. Illic, ubi biduum dentes fructibus commodaverimus, deliberabimus porrò, quò locorum Te convertes. Ex Ubiquitariorum genere Te eſſe nolo. Ubique enim eſſe idem eſt ac nuſquam eſſe. Sed miror admodum de Ultrajecto, Muyda, Alcmaria Te cogitare, nec mentionem aliquam facere amæniſſimi hujus loci. Itane promiſſorum immemor, quæ mihi & uxori, quæ tot

Curiæ Senatoribus aliiſque amicis nuper dediſti. Cum hodie Ampliſſimo Franconi de itinere Tuo ſpem feciſſem, præ gaudio exultans duo ad minimum pocula pro ſalute Tua propinavit. Acceſſeram eum, ut ſcirem ſententiam, & decretum Curiæ in negotio Mariti iſtius mulieris, quam commendavit Domini Arminii uxor, ubi intellexi non ex voto ceſſiſſe. Ne dubita tamen amicos Tuos, qui in Senatu adſident, Tua cauſa nihil non feciſſe. Sed viri boni & juſtitiæ Vindices non minus huic quam conſcientiæ vim ferre voluerunt. Illorum eſt culpas ponderare, noſtrorum vero acquieſcere judiciis. Apud D. Cloekium omnia læta fuiſſe nullus dubito, cum Tu lætitiæ dator illic fueris. Nunquam viduæ majore in prætio & honore fuerunt, quam noſtro tempore, ubi tam idoneum virtutum præconem nactæ ſint. Rectè feciſti quod vander Burchium noſtrum propemptico proſecutus es, ſed non rectè, quod mentionem mei feceris, niſi hoc probari debet laudari à laudato viro. Ad publica quod attinet, haberem quæ libenter audires, ſed cum currus in procinctu ſint ut abeant, ab-

rum-

rumpenda eſt epiſtola. Hoc ſaltem dicam Ducem Bullionæum Caſaliæ detentum ob communicata cum Deffiato, Thuano aliiſque pernitioſa conſilia. Uxorem autem ocyus Sedanum ſe contuliſſe, atque illuc intromiſiſſe quatuor Lotharingiæ Ducis legiones. Qua de cauſſa Galli defectionem ad Hiſpanos veriti confeſtim cum exercitu illuc provolarunt, quem alterum (quem Comes Harcourtius ducit) ponè ſequi dicunt. Pro certo etiam adfirmatur, Franciſcum de Melo magnis itineribus illic contendere, ut auxilia Duciſſæ ferat. Videbimus novas turbas hinc cieri, & forte ad manus ventum iri. Dabam Hagæ Comitis feſtinanter 15. Julii 1642.

Salveant à nobis plurimum filii filiæque omnes. Uxor quamprimum reſpondebit.

LVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo Profeſſori Amſtelodamenſi, J. Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

SUmpſeram heri calamum, ut ad priores Tuas reſponderem, cum ecce alteras pari benevolentiæ demonſtratione plenas à te accipiebam. Hoc eſt, amicorum integerrime, ab officio devium dulciore ſtimulo in ordinem redigere. Diſtuli tamen reſponſum in hodiernum diem, ut ab Aſſeſſoribus Curiæ Hollandiæ edoctus Tibi de cauſſa mulieris Beverovicenſis aliquid certi perſcribere poſſem. Hanc ob cauſſam cum heri Ampliſſ. Dedelium conveniſſem, roganti an aliquid pronunciatum fuiſſet, reſpondit nihil ſibi de ea re conſtare, quippe aliis demandatum fuiſſe negotium. Accedam nunc D. Franckium vel alium, ut ſaltem in calce huius epiſtolæ exitum vel ſtatum

rei

rei ſcire queas. Pro Epithalamio, quo Domini Bickeri hymenæa gaudia vel ſeros amores proſecutus es, maximas habeo gratias. Mittam Nobiliſſimis & Ampliſſimis Viris Mylio & Catzio ſingulis Tuo nomine exemplar, tertium mihi ſervabo. Divinare facile potui Te inter tot Conſulares & Patritios Viros Matronaſque ſerias Philoſophum potius quam Poëtam egiſſe, ſed neſcio an tam ſublimis materia, de Mycrocoſmo & oculorum muſculis pro geniis ingeniiſque trium iſtarum ſororum, quibus adſediſti, fuerit; rectè tamen Te feciſſe credo, quod ignaras ejuſmodi mentes & pectora cæca aliquando ſapientiæ Tuæ radiis illuſtras. De adventu noſtro circa feriarum tempus nolo Te dubitare. Eſt animus inviſendi Nobiliſſimum Satrapam, & in Bamæſtram nos conferendi, hac tamen lege ut Hagam poſtea unà nobiſcum revertaris. Neque enim divelli volumus poſt dierum plurium combuſtionem. De publicis vix ſcribere poſſum, quæ aliunde non acceperis. Magnus Cardinalis Richelius, denuo invicti animi, inſignis conſtantiæ ſimul & prudentiæ & fidelitatis exemplum præ-

buit. Jam è gratia Regis prolapſum & publicæ ignominiæ omnes expoſitum credebant, cum ecce æmulum & infenſiſſimos, qui ipſi adhærebant, hoſtes Regio mandato in carcere detruſos, & ſe priſtino favori reſtitutum videt. Fama eſt Deſſiatum, quem *Mons. le Grand* hactenus vocarunt, in eo cum aliis conſpiraſſe, ut inducias vel pacem cum Hiſpanis conderet, Galliam quidem pacatam redderet, ſed interitum Cardinali, Sueciſque & Fœderatis cæteris periculoſiſſimam belli aleam procuraret. In Anglia utraque pars ad bellum ſe componit. Regem plurimos ſibi addictos habere dicunt, licet Dominus Joachimi non ita pridem ſcripſerit ad Ordines, tot hominum millia, quæ nuper ad mandatum Regis in Provincia Eboracenſi ſe ſtiterunt, operam ſuam & Regi & Parlamento ſimul obtuliſſe. Petierunt Parlamentarii per Legatum Joachimi ab Ordinibus, ut evectionem armorum, quæ Rex in hiſce Provinciis coëmi curat, prohibeant. Unde & ſuper negotio iſto aliquoties deliberatum, nec tamen aliquid conceſſum fuit. Plura ſunt quæ Tibi ſuper hac-

hac re coram referam. Scripſit Subpræfectus Trajectenſis Steincallenfels 28. Junii Franciſcum de Melo nondum Moſam cum exercitu trajeciſſe, ſed potius cogitare de ſubmittendis copiis Sedanum verſus, ut Harcurtii Comitis conatibus obviam eat. Caſtra ad Rhenum tam commodè utrinque metata ſunt, ut nihil ſiniſtri metuendum ſit, ſi modo cuſtodiæ non ſegniter fiant. Hæc ſunt fere quæ ad notitiam meam pervenerunt. Si Tu quædam habeas vel de Suecorum felicibus ſucceſſibus in Moravia, vel Hollandorum in India, devincies me, ſi feceris certiorem. Interea Te cum filiis & filiabus omnibus quæ Amſtelodami ſunt plurimum ſalvere & valere jubeo. Dabam Hagæ Comitis Cal Auguſti, 1642.

Uxor & ſoror Eliſabetha animitus Te ſalutant.

LVIII.

LVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

CUm Religio mihi jamdudum fuerit non tantum impensè Te amare, ſed & de fide Tua benè opinari, optima ſpes me fovet Te craſtina die ad nos venturum? Si diutius moraveris, Thetys non extinguet culpam omnibus ſuis undis. Antequam ad caſtra abiturus ſum, libentiſſime dulciſſima Tua fruerer conſuetudine. Si epiſtola hæc domi Te adhuc offenderit, quod tamen non ſpero, adfer Tecum Euchariſticon, quod non ita pridem Eminentiſſimo Cardinalium miſiſti. Scripſit Illuſtriſſimus Legatus Thuillerius ſe ex litteris Comitis de Chavigny intellexiſſe, poſteriores Tuas rectè fuiſſe redditas; ſed abſque verſibus. Si exemplum apud me extaret, Te levarem deſcriben-

di

dimoleſtia. Dux Bullionæus aliique detenti Lugdunum ducuntur. Cancellarius etiam eo ſe confert, ut vota judicum colligat & cauſſam dicat. Rex Duciſſæ comminatus dicitur, ſe Ducis caput miſſurum, ſi cum Hiſpano de præſidio introducendo cogitet. Scripſit illa ut & ſocrus ad D. Landgraviam & Principes Arauſionenſes, ut pro marito intercedant. Functus eſt uterque Princeps officio propinqui. Sed cum magna pars veri lateat, torſit illos, ſe non potuiſſe innocentis partes agere ut voluerunt. Præfectus Perpiniani de capitulatione cogitare cœpit; ſed fruſtrà fuit ubi ſpatium deditionis nimis longum popoſcit. Nullus dubito quin Sabbatho proximo rem confectam habituri ſimus. Salutant Te omnes noſtri. Dabam feſtinanter & vocatus ad prandium, quo intererunt Cordeſius, Volbergius, aliique. Vale & veni. Hagæ 3. Auguſti 1642.

LIX.

LIX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMicorum Cordatiſſime,

Ex quo lecto adfixus fui nondum calamum in manu habui, hoc tamen officii, cum poſtulare videris, Tibi amiciſſimo denegare non poſſum. Decimus jam eſt dies, ex quo decumbo. Incepit morbus à febre continua & acutiſſima, quæ tres priores dies ſomnum ita inducebat, ut temperare me non potuerim, quod Clariſſimus Rumpſius nimiæ repletioni attribuit, cujuſque ſententiam confirmavit Ereſypila, quæ arcem corporis occupans, priorem partem ob tumores & ſubſequentes puſtulas ita deformavit, ut amicum Tuum vix dignoſcere potuiſſes. Jam per divinam gratiam liberatus tam importunis malis, non tantum cum guſtu corpus paſcere incipio, ſed etiam faciem inviſentibus amicis monſtrare denuò audeo. Stat-

que ſententia craſtino die grabatulum tollere & ambulare, licet non extra cubiculum, viſurus ſcilicet quid bipedes valeant, quid ferre recuſent. Habitamus jam in domo, quæ caret frontiſpicio, ut ſingulis noctibus cuſtodiamur à duobus excubitoribus. Intra menſem videbis nos æquales cum vicinis, qui hactenus fuimus poſtpoſiti, & quaſi ὕστεροι. Quando huc reverteris habebis & domum & dominum domus in meliorem ordinem redactos. Gaudeo iter Tuum Ultrajectenſe ex animo ceſſiſſe. Sed miror Te nullam facere mentionem longiſſimi ſermonis, quem Nobiliſſimus Zulichemius habet in ſua epiſtola de ſcriptis Domini Carteſii. Putabam enim cum tranſmiſſis litteris Te judicium Tuum obiter perſcripſiſſe. Non video quid dicere velit candore iſtius viri nihil eſſe fallacius, item ſimplicitati verborum magnam ſapientiam ineſſe, idque lectores pleroſque fugere. Quantum conjicere poſſum, libentiſſimè vos committeret, quod ego non diſſuaderem, ſi viderem rem tanti eſſe momenti. Vale Amicorum dilectiſſime & ſalve cum tota familia. Dabam

bam è lecto 6. Septembris, 1642.

Perpinianum ſeriò de deditione tractaſſe pro certo adfirmatur; remittam cras Hugeniaca.

T. æternùm addictiſſimus
J. VICOFORTIUS.

LX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo Amico ſummo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

SCripſi ad Te nuper è lecto & æger, nunc Dei beneficio atque auxilio Clariſſimi Rumpfii ſanus & reſtitutus in integrum. Si per vires liceret, ad vos me conferrem, ut mutatione aëris & dulci Tuo alloquio me recreem. Fiet hoc fortè intra dies paucos, niſi aliquid ex tranſverſo interveniat. Interea remitto litteras & verſus Nobiliſſimi Zulichemii. In Anglia non amplius libellis ſed ſerio res agi-
tur.

tur. Tormentis & ſclopetis pugnatum fuit inter copias Regias & Parlamentarias, quarum illæ cum numero inferiores fuerint ab his in fugam fuerunt conjectæ, cum jactura 60. & amplius militum ut & tormentorum aliquot ad loca interiora ſe recipientes. Doleo optimum Regem, qui potius ab auxilio quam bona cauſſa deſtitutus neceſſitati parere& leges ab iis accipere, quibus dare conſueverat, coactus videtur. Arma quæ Regina in hiſce Provinciis ære ſuo coëmit, non ita pridem mandato Ordinum Hollandiæ per Commiſſarios in Portu Delfenſi detenta & Brielam ſub cuſtodia deducta fuerunt. Pronum eſt conjicere quantopere hoc offendet Regem, qui ſine iis nihil prorſus contra hoſtes ſuos agere poteſt. Imo quantum hoc diſplicebit Principi, qui operam ſuam nuſquam claudicare voluit, ut ſaltem æquiſſimas concordiæ conditiones Regi fœderato & propinquo procuraret. Non video ob quam cauſſam Hollandiæ Provincia magis Parlamento quam Regi favet, niſi ut Rempublicam Angliæ libentius popularem, id eſt, ſuæ con-

for-

formem videret quam Monarchicam. Hancque unicam cauſſam credo eſſe, ut vires Regis inferiores Parlamento eſſe ſtudeat. Audiſti procul dubio à Parlamento quemdam ablegatum apud Ordines, conqueſtum fuiſſe de ſuppetiis à Principe Regi latis. Videbimus porrò tranſmarinas turbas magnas ſimultates hic concitaturas, quæ forte non facilè extinguentur. In Gallia publica melius ex voto procedunt. Perpiniani Præfectus, qui eſt Marchio de las Flores d'Avila, ad extremam redactus neceſſitatem tandem in haſce conditiones conſenſit: Ut nono hujus menſis die Urbem & arcem traderet in manus Mareſchallorum Galliæ, niſi ſuppetias interea ab Hiſpanis acciperet. Pacta autem hæc rata fore, ſi auxilia quæ exſpectabat non conficerent numerum duorum millium peditum, mille equitum, & ducentorum carrorum ad portandum commeatum. Proximo die Sabbathi fortè de ſucceſſu certiores erimus. Rex Hiſpaniarum cum exercitu erat Cæſarauguſtæ, ut & Marchio Taraconſius cum majoribus copiis Taragonæ auxiliis obſeſſis ferendis intenti, cui fini in Portu Roſes etiam deſcenderant 80. millia hominum, qui cum

claſſe

claſſe Hiſpanica appulerant, Gallica in portu Barcinonenſi hærente ut Catalaunenſes in officio detineat. In Italia Longevillanus Dux obſederat Aſtam, ut & Princeps Thomas Sanchiam, quæ Sabaudicæ vel potius Pedemontanæ ditionis oppida ſunt ſatis munita. Romæ conjurationem detectam dicunt contra perſonam Pontificis inſtitutam à Lotharingicis & Burgundis, qui hanc ob cauſſam ex Urbe fuerunt relegati. Subortæ etiam fuerunt contentiones & pugnæ inter Hiſpanos & Luſitanos propter diploma à Pontifice publicatum pro Rege Luſitaniæ, quod nimirum ille pro Rege legitimo agnoſci debet, qui anno integro fuiſſet pacificus poſſeſſor Regni. Lugduni examen captivorum & accuſatorum inſtituebatur à Cancellario, nec conſtat adhuc quem exitum negotium hoc ſit habiturum. Non dubitatur Bullionæi Ducem vitam ſalvam habiturum, ſi Sedanum, quod receptaculum ſemper fuit malè affectorum, tradere velit Regi. Non morabor Te diutius ſermonibus earum rerum, de quibus aliunde edoctus es. Te optimè valere cum Tuis ex animo voveo. Dabam Hagæ Comitis 14. Septembris 1642.

LXI.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

POſt diſceſſum tuum nihil de Te, nihil de rebus Tuis intellexi. Si ſalvus Tu, ſi ſalva uxor domeſticique, ſalva ſunt Tibi omnia. Nec peto, ut ſcribas mihi. Sufficit excuſatio una, Gellius ædificat. Favit hactenus ædificanti aër, ſiccum illum & ſerenum expertus es, aptiſſimumque ferruminandis lapidibus. Jam puto in domus apice ſudare operas, & pluvia hac tempeſtate tecto claudi architectum. Ita voveo. Ubi perfecta erit domus, adero cenſor & hoſpes. Aderam heri in prandio Domino Wilhelmio à funere Hugenii reduci. Si fuiſſem iſthic, etiam tecum traxiſſem ſyrma. Filius meus Pariſiis eſt. Inde Aureliam abiturus, ut promotionem obtineat. Ea impetrata ſtatuit morari Blœſii vel Salmurii. Sed quam in anguſto aut præcipiti ſunt res Britanniarum Regis? ab exteris & domeſticis auxiliis deſtitutus ſe arbitrio

Pro-

Procerum dedat oportet, niſi Deus è machina adſit. Unum omnia contra Tela Latinorum. Sparguntur hic rumores de clade exercitus Regii, capto Rege, occiſo Principe Roberto. Sed non ego credulus illis. Etiam nunc dicere habemus:

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Galli, ut acutiſſimi ſunt, aiunt Bullionæum Ducem dentes ſibi eripi paſſum *Ses dents* *, ut capiti ſuo conſuleret, *pour ſauver ſa teſte.* Neſcio, an Gallice hæc efferam. Tu corrige, nam mentem & acumen capis. Raptim 5. Octob. 1642.

LXII.

* *Sedanum; Gallicè Sedan.*

LXII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino GASPARO BARLÆO; Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

TU, Amiciſſime Amicorum, humaniſſima invitatione comitatem oſtendis Tuam, nos diuturniore ſilentio ruſticitatem noſtram. Vides qaam tardè Aulicismos addiſcimus Aulæ licet vicini. Omnino nos confundis, quod adfectus Tui demonſtrationem eouſque oſtendis, ut Conjugem meam Matris Sponſæ partes obituram velis, quod ut ſine præjudicio Amitæ velut proximæ agnatæ, fieri non poteſt, ſic pudoris noſtri eſſe non credas velim talem honorem accipere. De adventu noſtro nihil adhuc certi ſtatuere poſſum, cum non tantum profectionis decretum ex Friſico negotio partim pendeat, ſed etiam uxor domum undique apertam & familiam tumultuariè ordina-

tam

natam relinquere non audeat. Si venerimus (quod maturè ſignificabo) præter Uxorem non adducam, diverſurus apud.Laubengerium, licet frater meus Samuel æque ac Nobiliſſimus Satrapa hoſpitium prolixè obtulerit. Soror Eliſabetha Tibi ingentes agit gratias pro favore & benevolentia, quâ illam dignatus es, nullum officii genus defugitura, ubicunque occaſio tulerit. Sponſo Sponſæque omnia læta ac fauſta precatur. Dum hæc ad Te ſcribo, traduntur mihi litteræ, quas heri ad me dediſti. Zulichemi Dominum jam pridem de profectione ſollicitavi, ſed per ſe non ſtare dicit, ut Amſtelodamum èat. Heenſlitiæ Dominum nuper loquentem audivi de hinnulo vel cervi parte, quam mittere volebat. Inquiram craſtino die, quid facturus ſit, & quando, ut rationes Tuas inſtituere poſſis in tempore. Adibo etiam Nobiliſſimum Mylium, ut obiter de nuptiis & propenſiſſimo Tuo in illum animo, moneam. Nobiliſſimo Hoofdio, reſpondebo, ne qua temerè exſpectet Hugenium. Habitamus jam ſub tecto, ſed nondum rectè teſſulato. Lentè admodum proceſſit ædificium, tempeſtatem

licet commodiſſimam nacti fuerimus. De Britanniarum Regis ſtatu variè diſſeritur. In hoc conſentiunt omnes M. S. cum exercitu duodecim millium peditum & quinque equitum recta Londinum contendere, jamque perveniſſe prope Urbem Coventry, quando hoſtiles copiæ non diſtabant amplius quam octo milliaribus. Sic ab ortu & occaſu nuncios de magni momenti ſucceſſibus exſpectamus. Interea hac veſperâ tripudiis celebrabit Princeps Guillelmus natalem uxoris. Non te detinebo tædioſa narratione earum rerum, quæ in Germania geruntur, cum illæ vobis ſunt cognitiſſimæ, prius quam ad nos deferuntur. Te Tuoſque, inprimis Sponſum & Sponſam, plurimum ſalvere & valere rogo. Dabam Hagæ Comitis 14. Novemb. 1642.

LXIV.

LXIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMpliſſime Clariſſimeque Vir,

Per anguſtiam temporis non licet niſi tribus verbis Te alloqui. Super negotio Nuptiarum cum D. Henflitio diſſerui, ut ſcirem quid venatici ad Te mitteret, & quando, ne ſumptus fiant interea inutiles. Reſpondit ſe craſtino vel perendiè miſſurum Hinnululum, ac tres vel quatuor lepores. Spem fecit præſentiæ ſuæ, ſed nihil fido iſtiuſmodi pollicitationibus. Sufficit ut mittat ea, quæ memoriam abſentis refricare poſſint. Procul dubio diſceſſus Reginæ impedimento ipſi erit, & fortaſſe mihi, ne quid de occupationibus dicam. Perſuadeas Tibi interea velim, Te a me monitum iri de itinere vel manſione. Dabam Hagæ feſtinanti admodum calamo. 16. Novemb. 1642.

Tibi addictiſſimus
Vicofortius.

LXIV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amſtelodamum.

AMpliſſime Clariſſimeque Vir,

Licet recens à convivio Nobiliſſimi Zulichemii non poſſum, quin tribus verbis Tibi dicam nos perſiſtere adhuc in ſententia Sabbatho proximo ad vos eundi, niſi cauſſa ſontica impediat. Dominus de Heenfliet in prandio repetiit ſe die Solis hinc abiturum conſtituiſſe, ſed timere ne Reginæ diſceſſus, quem in diem Jovis proximum diſtuliſſe dicitur, propoſitum rumpat. Optimus ſenex Mylius nudiuſtertius circa undecimam veſpertinam fato ceſſit, ita ut accedere eum non liceat, nec antea licuerit per occupationes. Uxor craſtino die vel perendie braſſicam floratam mittet, nihil præterea quod mittat habens, quo gratificari vobis poſſit. Vale cum Sponſo, Sponſa & cæteris filiabus, meque amare perge.

Dabam

Dabam feſtinanter 19. Novembris 1642.
Tibi omni officio addictiſſimus
Vicofortius.

LXV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, J. Vicofortius S.P.D.

NIſi vererer, Amicorum optime, offenſionem Tuam, prorſus ſententiam de profectione abjicerem. Tot obruor occupationibus, tot diſtrahor impedimentis. Poſt hodiernum colloquium ſuper negotio Friſico aliud in craſtinum inſtituerunt Ordines de re nobis adhuc incognita. Inde ad Principem eundum erit, ut & ipſi explicemus, quæ Illuſtriſſima Princeps noſtra nobis demandavit, ſunt & alia mihi agenda, quæ ad œconomiam reſque familiares ſpectant, ita ut vix cogitare auſim de abitione ante veſperam craſtinam. Fortè & iter illud non placebit uxori, ſed rejiciendum erit in matutinam ſequentem. Sed ſi & tunc

tunc non expediat proficiſci, quid porrò judicabis? Nihil ſiniſtri ſpero, ſed conjecturum facile, nos retineri à cauſſa ſontica & legitima. Manet interea mens hinc abeundi, ſed tamen rem ingentem præſtabimus, ſi die Dominica circa ſextam veſpertinam nos ſiſtere vobis poſſimus. Regina diſceſſum parat in diem Jovis proximum, cujus cauſa etiam die Martis diſcedendum erit, ſi Amſtelodamum eamus. Nam & Majeſtati ſuæ obſequia mea non poſſum non offerre, & ſimul omnia fauſta precari in reditum in Regnum. Si ad vos venero, coràm docebo omnia, quæ litteræ cras adferent, ſi non litteris & ſimul excuſatione contentus eris. Interea me vobis omnibus commendo. Dabam raptiſſimè Hagæ Comitis 21. Novemb. 1642.

Braſſica florita mittetur cras cum Scapha ordinaria, hodie ob impedimenta non licuit, erunt numero duodecim.

LXVI.

LXVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

SErò nimis de officio præſtando cogitas, Amiciſſime Barlæe: jam dudum enim Nobiliſſimi Mylii Exſequiæ celebratæ ſunt. Si Epitaphium vel carmen ſcripſiſti memoriæ defuncti, beabis me, ſi exemplar ad me miſeris. De Epithalamio maximas ago gratias. Quæ ad alios pertinuerunt per Leonhardum probè curata ſunt. Vidimus hic ſuperiore ſeptimanâ Nobiliſſimum Dominum Satrapam unà cum Creuſa, ſed quaſi per tranſennam. Incidebat illorum adventus circa meridiem, ita ut excepti non fuerint niſi prandio valde medocri, imo tali à quo Judæus Apella merito abſtinuiſſet. A prandio luſtravimus ædes Zulichemii, ubi cum Dominus abeſſet, ſperata voluptate fruſtrati fuerunt. Reverſi domum, abſque

ulla mora ad Delphenſem Scapham ſe contulerunt. Poſtero die cum Zulichemius hoc reſciviſſet impatientiam moræ & diſceſſum valdè accuſavit, nunquam ſibi imaginatus, ſine ſalutatione abituros fuiſſe illos, qui occupatiſſimi hominis iter Amſtelodamenſe tam longa inſtantia urgere viſi ſunt. Dankartium craſtino die commendabo non ſolum apud D. Graphiarium, ſed etiam quoſdam ex Ordinibus. De negotio Friſico non habeo quod ſcribam. Poſt colquia aliquot re infecta finivimus, cum ſine detrimento armorum Celſiſſimæ Dominæ Landgraviæ, in præſidii egreſſum conſentire non potuerimus, ita ut omnia iſtic manſura ſint in priſtino ſtatu, donec felicior aliquis ſucceſſus alia hoſpitia nobis dederit. De Reginæ diſceſſu altum eſt ſilentium; ſive ſit ob adverſum Æolum, ſive ob adverſam fortunam, equidem non facile indicabo, licet in Aula nil niſi proſpera & læta prædicent. Ut ut ſint, pro certo creditur, falſiſſimum fuiſſe rumorem, qui ſpargebatur de morte Principum Palatinorum. Non dubito quin de duabus navibus à Rege Daniæ Caſtellum

lum novum unà cum Vicario Ulefeltio tranſmiſsis inaudiveris. Hic licet Legati nomine miſſus pacis conditiones Regi & Parlamento propoſiturus ſit, nullum tamen eſt dubium, quin ob conſanguinitatem Domini ſui & auctoritatem Regiam, quam procul dubio defendet, pluribus erit ſuſpectus. Multa Pariſiis ſcribuntur de rebellione in Regno Mexicano exorta, cui fidam adhibere nondum audeo, licet Anglnm quemdam, qui vigeſimo die Novembris Madrito profectus fuit, hæc retuliſſe dicant. Vale, Vir Ampliſſime, & ſalve cum tota familia. Dabam HagæComitis 7. Decemb. 1642.

LXVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. Gaſparo Barlæo Amico incomparabili, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

NObiliſſimus Mullerius, qui haſce ad Te perferet, ex Amicorum meorum numero eſt, & quidem illorum, qui ob egregias animi dotes atque virtutes ab omnibus bonis amari debent. Itaque amicitiam Tuam ultrò expetenti non potui non illam interventu meo conciliare, nullus dubitans quin obvium iſtum adfectum exoſculaturus ſis atque ea humanitate accepturus, qua meretur. Clarus jam pridem legationibus apud Cæſarem alioſque Magnates, idem quoque munus per menſes aliquot apud Ordines Fœderatos ſuſtinuit, quo ritè perfuncto demum ad Hamburgenſes ſuos reditum parat, ubi cum Ordinis ſit Senatorii & Patricii, ac inter opulen-

lentiſſimos doctiſſimoſque habeatur, facile Tibi erit conjicere quanto ſplendore dignitatem ſuam tueri poſſit. Si quam à Te poſtulet inſcriptionem in Tumulum amici cujuſdam, quæſo ipſi faveas in re honeſtiſſima, nec tantillum laboris deneges viro laudatiſſimo, cujus gratitudinem claudicare nuſquam ſentis. De Principe nihil inaudivimus, niſi cum exercitu trajeciſſe in oram illam Flandriæ, ubi eſt munimentum Philippinæ; promota illinc fuerunt caſtra Aſſenedum verſus, ubi cum munire illa inceperint, veriſimile eſt nihil quod operæ pretium ſit tentatnm iri, niſi ut hoſtium vires divertantur, ne durante Theodonis Villæ obſidione irruptionem faciant in Galliam. Franciſcus de Melos quarto hujus menſis die cum præcipuis Ducibus fuit in munimento, quod Gandavi Saſſum indigetant, unde crebræ tunc fiebant exploſiones tormentorum, ſed abſque detrimento. Inſequenti die Gandavo Brugas ſe contulit comitatus quadraginta equitum cohortibus. Jamque tota Provincia in armis eſſe dicitur, quod ſpem obſidionis vel expeditionis noſtris adimit. Cum ædes meæ jam ſint confectæ, nihilque ad recipiendum

gratiſſimos hoſtes deſideretur, id velim ſuada Tua apud Nobiliſſimum Satrapam efficias, ut cum uxore, filiis & filiabus, una Tecum quamprimum veniat. Non deſunt cubicula, nec lecti, nec carruca, nec equi. Si cibus & potus non fuerint delicatiores, deambulationibus & alloquiis id largiter compenſabimus. Dabam raptiſſimè Hagæ Comitis 8. Quintil. 1643.

E X V I I I.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Viro D. Gaſparo Barlæo Amico ſummo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

MItto, Amiciſſime Vir, & litteras & verſus Nobiliſſimi Zulichemii. Quas in caſtris exaratas vides ſeſamo & papavere ſparſæ ſunt, quos in Urbe & quidem in Aula, aceto & bile, ut diceres Palladem armatam mitiorem eſſe, quam ubi haſtam & galeam depoſuit. Habebam, quod Tuo nomine ad aculeos hodie repoſuiſſem. Sed obſtitit luctus & ingens, quam ex Marchionis Gevrii morte concepi, triſtitia. Occubuit

buit maximi animi juvenis non ictu Sclopeti, non tormenti, ſed lapidis, qui crepitu cuniculi improvidè à foſſoribus accenſi proſiliens milites ſuos hortantem proſternit & in ipſo ætatis flore, quippe vix attingentem vigeſimum ſextum annum exanimavit. Hunc acerbiſſimum caſum ut tota aula impensè dolet, ita ego ob intimam, quâ me dum vixit, dignatus eſt amicitiâ, oblivīſci non facilè poſſum. Magno mihi ſolatio eſſet, ſi à Muſa Tua aliquid impetrare poſſem in effigiem tanti juvenis. Ut obiter ſcias, qualis fuerit, operæ pretium erit pauca dicere, quæ ad commendationem illius ſpectant. Vix annum vigeſimum ætatis egreſſus fuerat, quin Prætorianorum Tribunus in Patris adhuc vivi locum ſuffectus audierit, & ſimul promiſſa fuerit Caudomenſis Præfectura poſt obitum Parentis. Ex quo bellum exortum fuit inter Gallos & Hiſpanos nullus præteriit annus, quin ſpecimen ediderit & ſtrenui militis & egregii Ducis. In obſidione Fontarabienſi ita ſe ſe geſſiſſe omnes confitentur, ut licet irrita illa fuerit (incertum an virtute hoſtium an ignavia Gallorum) ille tamen

men

men glorioſè & tribus ni fallor vulneribus diſceſſit. Quanto cum honore, cum Atrebatum ab Hiſpanis obſeſſum erat, pugnaverit, ex eo liquet, quod captus ab iis non fuerit niſi duodecim vulneribus confoſſus. Sæpius puto Te ex me audiiſſe captivum tunc unà cum Nobiliſſimo Aigueberio Gandavum deductum, ibique in arce per aliquot menſes detentum, poſtea cum magni nominis Hiſpano commutatum fuiſſe. Poſtrema hac & funeſta obſidione Theodoniſvillana, illum vigilantia, alacritate, & fortitudine nemini Ducum ceſſiſſe omnes litteræ loquuntur. Spirabat alta generoſiſſimus juvenis, & ſegniter ſe rem gerere putabat, niſi heroicis factis quotidie ad maiora ſe natum oſtenderet. Sed invidit Parca iſtam felicitatem, cum jam deditio urbis inſtaret. Si, Amiciſſime Virorum, præclarorum illa factorum gloria meretur clarorum ingeniorum encomia, ne quæſo tam maſcula virtus præconio Tuo careat. Habebis D. Zulichemium & me pro officio obſtrictiſſimos. De Theodonisvilla nihil certi adhuc conſtat. Antuerpienſium quædam litteræ deditionem adfirmant, quædam dubioſè loquuntur. Priores urbem

bem vi captam & quidem ſeptima oppugnatione volunt nono hujus menſis die. Circa finem hujus hebdomadæ Amſtelodamum ire eſt animus, niſi ex tranſverſo quid occurrat. Si Satrapa Muydæ non fuerit, facile dies aliquot commorabimur & reditum exſpectabimus. Interea Te cum tuis valere & felicem vivere ex animo voveo. Dabam Hagæ Comitis 16. Auguſti. 1643.

☞ Treſlongiæ Sorores Te plurimum ſalutant, minor à filia Tua Anna reſponſum exſpectat.

LXIX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

MAjus aliquando commiſiſti facinus, dilectiſſime Vicoforti, quam quod litteras Eburonenſis amici reſeraveris: illud

illud nempe, quod litteras ad Nobiliſſimam Viduam miſſas pro Tuo in me jure (ut facinus credas veniale eſſe) citius ab aliis legi ſiveris, quam ab ipſa. Hoc nefas, quale quale eſt, plurium oſculorum abſtinentia expiari debebat. Nihil mihi arcani eſt cum Eburonum Agente: cum Viduis multum, idque ineffabile. Sunt ſua Theologis, Chymicis, Politicis, Medicis myſteria, adde & viduis, quæ non minus ſilentio involvi oportet, quam quæ in aurem Presbytero dicuntur. Mira ſcribis de Gallorum menſis, quibus excepti ſunt Principes noſtri. Si illas vidiſſem, exclamaſſem fortè cum Ergaſilo apud Plautum: Quanta peſtis pernis accidit, quanta labes larido, Quanta ſumini abſumedo, quanta callo calamitas, Quanta laniis laſſitudo, quanta porcinariis! Fruſtra ingenium in cerebri panniculis hactenus quæſivimus: in gula, in ventre, in abdomine quærendum. His non minus ingenioſi ſumus, quam ea parte, qua ſapimus. Non ſingulas aves patinæ, ſed avium exercitus exhibuere. Vix nata animalia ceſſere in paſtum, & naturæ

turæ matris moras antevertit erudita fames. Geometricè ordinantur, quæ minus Geometrice comeduntur. Ut etiam ſecula noſtra Apitios habeant, quibus longiore collo opus, ut fruantur diutius. Sed dandum hoc viris principibus & magnis, qui Regis ſui majeſtatem non bellis ſolum & armis, ſed menſis etiam explicant. Quam vellent Hagienſes Tui, Monaſterii prandere Legatos, ut habeant, quod comedant liberalius, & minus caro. Jam pretioſius vivunt ob paucorum magnificentiam, ut rivulis ac torrentibus ſuus decedit liquor magnorum fluminum voracitate. Ego tam feliciter Illuſtriſſimos Legatos velim crudas Principum Europæorum lites emollire, quam rem cibariam feliciter perfecere Francorum magiri. Sed jocorum ſatis. Danus ringitur. Suecus intra Cimbricæ Cherſoneſi limites ſtringitur. Pax Monaſterienſis à variis variè fingitur. Britannia ſcinditur. Italia in novas partes diſtinguitur. Caſtellæ Rex contemnitur. Gallia victrix pingitur. Ego fauſta Tibi omnia, mi Vicoforti, & proſpera voveo, & cum uxore & familia omni ſal-

ſalvere & benè rem gerere jubeo. Amſtelodami 17. Feb. 1644.

G. BARLÆUS.

LXX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

GRatias ago maximas, Amiciſſime Vir, ob rerum mearum, quam geris, curam. Sacculus nummorum tradi poteſt fratri meo Gaſparo, ſed oleum palmæ, uti & piper album manebit apud Te, niſi incommodum erit, per ſeptimanam aut alteram, ubi occaſio erit ea mittendi Rothomagum. Aquam Spadanam nondum guſtavi per incuriam, vel potius per negligentiam. Novi nihil habemus, quod curioſitati Tuæ

Tuæ poſſit ſatisfacere. Princeps exſpectatur in craſtinum. Utraque Aula luctum induit, ob mortem Electricis Palatinæ Viduæ, Arauſionenſis P. Sororis, P. Landgraviæ Materteræ. Fortè & me atratum eſſe oportebit. Scis indubiè quam infeliciter ceſſerit Præfecto Noveſiano noſtro aggreſſio ad caſtra Lotharingiorum. Suecorum & Danorum Miniſtri hic de Ordinibus queruntur, illi ob non præſtata ſecundum fœdus auxilia, hi ob navium inſtructionem illorum hoſtibus conceſſam. Dum neutri hic eſſe volunt, facilè utrumque offendent. Te cum Tuis bene valere voveo. Dabam Hagæ 22. Aprilis 1644.

Pecuniam, quam apud vos reliquimus, filius Tuus, niſi grave erit, nobis apportare poterit.

LXXIII.

LXXI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino GASPARO BARLÆO; Joachimus Vicofortius S. P. D.

Leydam.

HEri poſt diſceſſum Tuum venit ſtatim ad me Nobiliſſimus Groſiccius, hoc fine, ut ex Ordinibus quoſdam ſimul inviſeremus. Jam pedum iſa erat via, vixque pedem in carrucam impoſueramus, cum vicinus meus Graſwinkelius, ab officio, quod Tibi præſtiterat, redux nos accederet. Is occaſionem nactus monſtrandi litteras Legati Veneti, in Bibliothecam ſuam novarum rerum curioſos & avidos deduxit, ubi non tam litteras legere & libros inſpicere dabatur, quam Liberi Patris dona largiter adſpicere. Noſti hominis humanitatem & benevolentiam. Reverſus domum inveni litteras Domini Zulichemi decimo ſeptimo hujus menſis die ad me

me datas, cum verſibus ad Flandriam & in obitum Bannii, quos Tibi communicari à me voluit. Judicabis, credo, mecum conceptus veſtros ſuper una eademque materia non fuiſſe diſpares. In Caſtris omnia ex voto ſuccedunt. In promptu jam erant, quæ ad tranſeundam foſſam, quæ cis loricam exteriorem eſt, ſunt neceſſaria. Obſeſſi fodiendo multa perperam agunt, ex quo conjicitur, eos carere idoneis caſtrorum Architectis. Gaſtonis conatus Waſtene verſus, hoſtium vires egregiè divertit. Jamque D. Franciſcus de Melo hoc ſibi negotium crediderat dari, ut omnem comitatum & duas legiones Ducis Lotharingiæ illuc miſerit. Munimentum, quod Gaſſio ſub foſſa S. Audomari cœpit, tanti momenti eſſe dicitur, ut ille pro meritorum præmio nil niſi unius hyemis poſſeſſionem poſtulaverit. Melo novæ foſſæ fodiendæ intentus, quæ à Deſſeldonk, ubi caſtra metatus eſt, ad fortalitia S. Marci & S. Joſephi uſque extendi debet, operas, quantum poteſt, promovet. Tantæ molis opus eſſe creditur, ut plerique qui ex hoſtico ad
no-

noſtros permeant, ſuſtineant conatus irritos facilè fieri ab infinitis ſumptibus. Præfecto Hulſtenſi interim cura hujus negotii demandata eſt. In caſtra Principis quotidie multi transfugæ veniunt ex Saxo Flandrico, qui pro certo adſerunt in loco obſeſſo multos eſſe vulneratos & pauca remedia, frequentes granadas conjici in anguſtiſſimum terræ ſpatium; quæ omnia deſignant miſerrimam rerum faciem. De iis, quæ ad Friburgum geſta ſunt inter Gallos & Bavaros, impatienter exſpectamus veriſſimam ſeriem. Orientalis Friſiæ motus, vereor, ne in apertum bellum erumpant, ſi Fœderati Ordines obviam non eant matura ablegatione. Comes improvidè bellaturit, licet conſultum ipſi magis foret, quâvis tutâ conditione pacem accipere, quam viribus cum valentiore pugnare. Significatum nobis fuit, illum conſilia communicare cum Electore Colonienſi & Cæſareanis, quod non abibit abſque Ordinum offenſa & proprio ipſius exitio. Vale, Amiciſſime Vir, & ſalve plurimum cum amicis omnibus, è quorum numero non excipio D. Overbequiam ipſiuſque filiam. Hagæ Comitis 21. Auguſti. 1644.

No-

Nobiliſſimus Groſiccius Te plurimum ſalutat. Hoc ipſo momento audivi foſſam loricæ ſupradictæ tranſiiſſe cum pontibus ex junco confectis.

LXXII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amiciſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, *Amico incomparabili, Joachimus Vicofortius S. P. D.*

Amſtelodamum.

OCtiduum eſt, Amiciſſime Vir, quod Leydam ad Te miſi verſus Hugenianos ad Flandriam, quos Te accepiſſe nullus dubito. Si præter ſpem perierint, verbo ſaltem indica, ut exemplum alterum Tibi dare queam. Ex caſtris ad me ſcribunt Comitem Hornium vigeſimo quinto hujus menſis die, tranſverſam, quam hoſtes in lorica exteriori ſive contreſcarpa conſtruxerunt, occupaſſe, ſed non ſine ſanguine, quinquaginta enim illorum, qui in ſtatione erant, aut vulneratos aut occiſos fuiſſe conſtat. Poſtero die cum Co-

linius

linius Comes cum ſua legione ſucceſſiſſet, non minorem jacturam fecit, imo ex unica Remondi centuria vix decem ſuperſtites evaſos ſcribunt. Audiviſti proculdubio machinas binas fuiſſe locatas, quas galerias vulgo vocant, hac conditione, ut conductor intra duodecim dierum ſpatium confectas habere teneatur, propoſito præmio ducentorum florenorum pro unoquoque die, quem anticipabit. Quadringenti vice verſa detrahentur pro ſingulis diebus, quos conſumet ultra ſupradictum duodecim dierum ſpatium. Suggeſtus tormentarios fecerunt noſtri duos in lorica, & ſtationem pro Sclopetariis, ut ſub ictuum beneficio operæ machinarum promoveri poſſint. Intra foſſam majorem & munimentum Saxi dicunt eſſe adhuc Tranſverſam, qua obſidentibus negotium faceſſere valeant, ſi rectè calculum poſui trahetur fortè obſidio in menſem Octobris. Tu ſi quid habeas ex Dania, velim me facias certiorem. Dabam raptiſſime 31. Auguſti, 1644.

Salveant omnes Tui.

LXXIII.

LXXIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS,

Amſtelodamum.

AMiciſſime Domine Compater, Neſcio qua incuria vel negligentia factum ſit, ut litteras meas ad Te miſerim, abſque illis quas Zulichemi Dominus ſcripſit ad Nobiliſſimum Hoofdium. Tardius illud animadverti, oblataque per Nobiliſſimum Oſſium occaſione, illas poſtliminio curavi. Excuſabis ſpero errorem pro ſolita humanitate, meque adfectu Tuo dignare perges. Dabam Hagæ 22. Sept. 1644.

T. addictiſſimus

Vicofortius.

LXXIV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, J. Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

QUod nuper Amſtelodami à Te petii, jam repeto, nimirum ut Verſuum Zulichemianorum, quos ipſe attuli, copiam mihi facias. Lectionem enim illorum ut indulgeam D. Wilhemio noviſſimis litteris ſuis auctor rogavit. Torquet me plurimum Conſiliarium iſtum Brabantinum abuſum fuiſſe liberali mea communicatione litterarum illarum, quibus vir magnus ad me ſcripſit, quoſdam miratos fuiſſe amicum noſtrum Hagienſem vituperare Eraſmum contra ſententiam omnium ſapientum, cum multa egregia ex operibus ipſius diſcere potuiſſet, hoc Z. D. non reſcivit, quin ſcriptum aliquod remiſit, quod apologiæ loco eſſe poſſit. Inter alia allegat verſus ſuos qui leguntur pag. 87. & 88. quos in ſenſum ſi-

ſiniſtrum retorqueri non poſſe putat abſque candoris ſui præjudicio. Alibi dicit, vicina Batavorum oppida, quæ Eraſmum & Grotium edidere, præſtitiſſe huic & Patrum ſæculo, quod toti Antiquitati opponamus. Hæc meo judicio ſufficere deberent cuivis ab odio & invidia vacuo. Ad Legatum tamen Grotium nihil de hac re perſcribam, ne videar nimis facilis in communicatione illorum, quæ fortè amicitiæ & familiaritati noſtræ concredere voluit, neque multum reponam ad defenſionem Zulichemii, ne & ille credat me gratiam potius utriuſque aucupari velle, quam procurare concordiam. Exercitus in procinctu erat ut cis paucos dies ex Flandria diſcederet. Quod penuriæ pabuli & avenæ potiſſimum tribuendum eſt. Ipſe Princeps ſexto hujus menſis die vias locaque luſtravit onerandis navibus idonea. Rumores ſparguntur de obſidione Audomarenſi, quibus fidem non habeo, ſed potius iis, qui de munimentis quibuſdam vicinis à Gaſſione occupatis loquuntur. Sunt qui Franciſcum de Melo mandata accepiſſe dicunt diutius in Belgio commorandi. Te quam optimè valere jubeo. Dabam Hagæ 8. Octob. 1644.

LXXV.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

AMpliſſime Amiciſſimeque Vir,
Ccepi à D. Petitio foculum meum Urſinum, onn Lupum quem miſeras. Mirari ſatis non poſſum Philoſophum tam magnum hallucinatum in animalium deſcriptione, quæ toto genere differunt. Urſinæ pelles pedibus noſtris inſerviunt, Lupinæ potius capiti, ſi Virgilio credendum:

- - - - Fulvoſque Lupi de pelle galeros
Tegmen habet Capitis.

Ita etiam poſt mortem varius illorum eſt uſus. De incendio quid fecerit Zulichemi Dominus ex adjuncta charta videbis. Vale, Vir Clariſſime, & me amare perge. Dabam 15. Jan. 1645.

T. addictiſſimus
J. VICOFORTIUS.

LXXVI.

LXXVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino GASPARO BARLÆO; Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

NOn diſputabo Tecum amplius de Lupo, ne in ſimpulo fluctus excitare, aut acutiſſimo Philoſopho cæcitatem exprobrare velle videar. Sed cave etiam ne Tu mecum litiges quod boni nominis rationem citius non habuerim. Fecit me trecentorum florenorum ſponſorem Nobiliſſimus Zulichemius, ſed inſcium, nec prius conſcium, quam nudiuſquartus cum apud illum prandérem. Eadem veſpera hoc mihi negotium potiſſimum credidi dari, ut per fratrem meum Gaſparum me exſolverem. Hoc ſi præſtiterit, exſpectabo à Te ſyngraphum; ſi non, mitte ſaltem famulam, ut liberet meam fidem. Gaudeo plurimum Nobiliſſimum Hoofdium melius ſe

habere, ſed diſſimulare non poſſum indignationem noſtram conceptam ex uxoris ſuæ exiguo in nos adfectu; qui inde liquet, quod Roterodamo Amſtelodamum proficiſcens, Hagam quæ in itinere eſt, tranſire, aut ad nos divertere noluerit. Sic & nos aliquando adverſam Foſſæ Imperialis ripam legemus, ubi Harlemum eundum erit. Vidi hodie epiſtolam & verſus Teſſelæ ad Zulichemium ſcriptos, & ſimul hujus reſponſionem, quam propediem ad te mittet. D. Satrapa magnopere devincet Principem curâ quam ſuſcipit in gratiam Comitis Naſſoviæ. Ciſtam Braſilienſem habebis quamprimum id fieri poterit. Videbis ex autrographo Domini Aigueberii, quid ille de Te ſcribit. Si ad illuſtrem virum litteras mittere velis, id per me fieri poteſt. Vale, Vir Ampliſſime, & ſaluta filias & filium. Dabam Hagæ Comitis 23. Januar. 1645.

LXXVII.

LXXVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

QUas ſup...... me dediſti litteras, rectè accepi. Legi illas ut ...... Tuos majore cum voluptate, quam famoſum illud Comitis Embdani ſcriptum, quod nec Princeps, nec cordatus quiſquam laudare poteſt. Prudenter feciſti, quod libentius neuter & indifferens eſſe, quam malè feriatorum more debacchari voluiſti in Heroinam omni laude majorem. Sæpius malè ceſſit illis, qui ſcripſerunt in illos, qui poſſunt proſcribere, nec promittere auſim adhuc ſi Boyus impunè dignitatem Principis, quæ extra invidiam poſita eſſe meritò deberet, laceraverit. De Prælio Bohemico nihil à me exſpectandum Vos enim propiores eſtis fontibus, unde nova iſta manant. Hic ſeriò deliberatur de expeditione maritima con-

tra Danum. Decretum Ordinum pendere dicitur ex conſenſu Provinciæ Zelandiæ, ad quam quatuor Deputatos ablegarunt. Reliquum eſt, ut Te.... feriis invitem more ſolito, quod nobis non negabis, ſpero, Tui amantibus & ſuſpicientibus. Conveni ſuper hac re cum filio. Tu vale & me amare perge. Dabam Hagæ 4. April. 1645.

J. VICOFORTIUS.

LXXVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, Joachimus Vicofortius S. P. D.

TU, Amiciſſime, ſilentium excuſas nulli culpæ obnoxius. Ego hanc libenter in me agnoſco, nec tamen ad excuſationum diverticula confu-

fugio. Amicitiam noſtram altiores egiſſe radices exiſtimo, quam ut parſimonia vel frequentia ſcriptionis labefactari vel augeri queat. Non ignoro Te immerſum fuiſſe vaſto rerum Occidentalium Oceano, & decumanis fluctibus tantum non obrutum; ſed & emerſiſſe gaudeo, ac proinde defæcatiore animo ad fortiſſimi Principis victoriam decantandam accingi. Illud à Muſis veſtris exſpectant, quotquot Patriæ ſucceſſibus gaudent. Nec meretur minus virtus in ſublimi poſita, tantique Principis felicitas, de quo malè tunc fortuna meretur, cum poſt fata venit. Hæc utique cum in cæteris expeditionibus fuerit magna, maximam in hac noviſſima fuiſſe fatebuntur omnes, qui ſuperiorum temporum res geſtas memoria tenent. Feliciſſimum hoc nomine Ducem judico, quod non ſolum paucorum dierum ſpatio magnum Flandriæ tractum ad obſequium, ſed etiam intra unius menſis decurſum munitiſsimam Provinciæ Urbem in poteſtatem redegerit. Factum ſanè, quod nec ſperaverunt ſocii, nec timuerunt hoſtes. Et quod miraculi ſit

inſtar, tam humane vobiſcum égit anni tempeſtas, ut Cœlum ipſum non minus Principi militaſſe jure meritoque dixeris, quam exercitum. Felicitatem hanc Hiſpani ægris intuentur oculis, eo infeliciores, quod adverſæ fortunæ fluctibus agitati, à ſperato tranquillitatis portu quàm longiſsimè adhuc abſint, nec paci, quæ præſentiſsimum miſeris remedium eſſe ſolet, ſibi promittendæ pares; niſi iniquis conditionibus paciſci velint. Quam neceſſe ſit hoſtibus illam inire, ex hoc abunde liquet, quod Legati Cæſarei generales inducias nuperrimè Monaſterii cenſuere proponendas. Utrum verò referri victoribus Gallo & Ordinibus conducat, penes illos judicium eſto, qui pacis bellique rationes me melius norunt. Tecum facile ſentio proſperos hoſce armorum ſucceſſus viam Principi ſternere ad majores conatus, ſed an illa ſtrata ſit ad obſidendam proximo vere Antverpiam, plurimi mecum dubitant, creduntque deditionem magnæ Urbis à voluntaria Civium defectione, & rerum deſperatione, potius, quam ab armis exſpectandam. Rumor eſt Inſulanos

nos Flandros & Cortracenſes defectionis exemplo aliis civitatibus præiiſſe, Gallorumque præſidium recepiſſe. Quod Gandavo in caſtra perſcriptum mihi adhuc apocryphum videtur; cum Dominus Deſtradius, recenter ab exercitu redux, nihil certi de eo conſtare adfirmet. At hoc ſaltem, quod Senatus Populuſque Inſulanorum Picolominæo per litteras ſignificarint, ſe eo rerum redactos, ut Gallorum Imperio ſe ſubmittere neceſſitas cogat, niſi ille hoſtes è locis, ad Lyſum occupatis, ejecerit, ipſaque defenderit ſuo milite. Interea dum Galli ab una Flandriæ parte progreſſus urgent, Arauſionenſis Princeps non feriatur ab alterâ, hoc ſibi negotii imprimis credens dari, ut, quæ communicationi, inter Hulſtam & Saxum Gandavenſe, impediendæ reſtant munimenta, protinus occupet, antequam copias in hyberna dimittat. Huic fini Friſiæ Gubernatori Guilelmo Naſſovio obſidionem Caſtelli, quod Moerſpuy vocatur, Brederodio vero iſtius, quod à Fano Andreæ nomen habet, commiſit. Prius Pentagoni formam habet, & à quinque millibus pe-

 ditum,

ditum, duabus legionibus Equitum, Tormentiſque ſexdecim oppugnatur. Poſtremum minoris momenti forma quadrata eſt extructum, nec plures angulos habet quam caſeus Limburgo Vanderburgicus, quem nudiuſquartus ad Te miſi. Videbatur mihi propugnaculum hoc licet exiguum, inexpugnabile, quamobrem dentibus Tuis ſtatim illud deſtinavi, ut ſtrenuè bellum indiceres, & videremus, an Tu majore animo rem geſturus ſis, an vero illi, quos ſuperius nominavi bellatores. Princeps intra octiduum hic exſpectatur. Ubi advenerit, habebis proculdubio verſus à D. Zulichemio, quos in D. Grotium ſcripſit. Mihi illos videre nondum licuit. Ex Gallia nunciatur Eduardum Principem Palatinum, qui non ita diu duxit Annam Gonzagam Mantuæ Ducis Filiam, Religionem Proteſtantium ejuraſſe, quod Familiæ calamitatem augere videtur. Regina Poloniæ poſt peractos Nuptiarum ritus de diſceſſu cogitabat, iter Leodium verſus inſtitutura, ut inde ſecundo fluvio Venloam deſcendat, atque inde terreſtri itinere per Veſaliam, vel Rhenobercam, Monaſterium & alia vicina

loca

loca Hamburgum tendat. Quæ in Anglia geruntur proculdubio ex D. Scoto Tarvaſio jam inaudiviſti, nec talia ſunt, ut repetere illa ſit animus. Mitto ſyllabum librorum nec editorum, nec edendorum. Satyram potius dixeris, quam Bibliothecam, in qua Galli Suecique vapulant, ſed hi mitius quam illi. Cap. 16. videbis mei quoque mentionem fieri, at benignius quam Dominorum Ordinum Cap. ſequenti. Sed tempus eſt ut abrumpam, ne de loquacitate mea queraris, quemadmodum feciſti de taciturnitate. Vale, vir Clariſſime, cum tota familia, & niſi grave eſt Nobiliſſimum Hoofdium ſaluta. Hagæ Comitis 13. Novembris 1645. Quando Bibliothecam perlegiſti, gratiam feceris, ſi tranſmittas & judicium mihi Tuum perſcribas.

LXXIX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

INvitas ad te venientem ultro. Sed videbor peccare affectu paterno, ſi apud filium non divertam. Ille arbitrio meo rem omnem permittit. Dividam litem inter filium & amicum. Filio meridiem & ſummum diem largiar. Tibi noctem & veſperam. Non habebit quod conqueratur, ſi temporis corculum nanciſcatur. Sed fluctuo adhuc & pendeo animi. Ubi è curru deſcendero, deliberabimus, quid facto opus ſit. Proxima hebdomade, die Martis aut Mercurii, ad vos cogito. Piſcibus veſtris diem dixi. Horum ſaturi ſunt cultores quadrageſimæ, ego cupidiſſimus. Torſtenſonius Auſtriam terret, ſed in Moravia moratur. Cæſar copias colligit magna rerum deſperatione. Britanni pergunt Cadmeam pugnam

gnam pugnare, quæ non minus luctuoſa eſt victoribus quam victis. Nos Dano tandem videmur iraſci poſſe. Sed multa cadent, non dico inter calicem & labra, ſed inter claſſem noſtram & pugnam. Turca pyrgopolynicen agit ſuo more. Pamphilius Pontifex Pamphilus eſt, dum plures ſibi beneficiis devincit. Inter hos motus ego in territorio Pernambucenſi claſſes diſpono, æraria exhaurio, & Præfectus mihi maximas res agere videor. Vale. 6. Aprilis, Anno 1645.

G. BARLÆUS.

LXXX.

LXXX.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

DIu me expectatione tui ſuſpenſum tenuiſti. Putabam utique futurum, ut adventu Illuſtriſſimi Grotii huc pertrahi poſſes, quem ſalutavi obiter & paucis. Exceptus fuit à Senatu & Conſulibus perhumaniter.

Veteris ſunt hæc veſtigia recti.

Clade Gallorum indolui. Nimia ſecuritate & hoſtium ſupino contemptu Marti vapulant. Torſtenſonius adhuc cis Iſtrum eſt, hic terminus fortunæ Gothicæ. Princeps noſter nondum movet. Nec ego. Futurum tamen propediem puto, ut Hagam excurram, videndi nepotis cauſſa, quem:

Caſta Venus genuit, ſed non Simoëntis ad undam.

Tu

Tu negotiis publicis privatiſque diſtri-ctus me & amicos neſcis. Ulciſcar in-juriam dentibus, non ut Te mor-deam, ſed fercula Tua. Audio Te pur-gare domi non Augiæ ſtabulum, ſed lo-ca purgatiſſima. Inſaniendum hic eſt matronis, ne in virorum capita ſæviant, Ab hoc metu liber ſum. Vale. Amſtelod. 22. Maii, 1645.

G. BARLÆUS.

LXXXI.

J. VICOFORTIO G. BAR-LÆUS.

NObiliſſime Vir,

Agnoſco pertinax ſilentium, at nullam in ſilentio culpam. Non habui quod ſcriberem, cum tamen ſcribe-rem multum. Abſorpſit me penè Ocea-nus chartarum Occidentalium, è quo emerſi poſt faſtidioſam annalium lectio-nem. Sentio, aliud eſſe carmen ſcribe-

re,

re, aliud hiſtoriam. Illic ſine populi ſuffragio mentiri licet & fingere: hic nequaquam. Ut illic mei juris ſim, hic ab argumento & rebus ipſis detinear. Hulſta me loquacem iterum fecit, quæ, ut ſpes eſt, viam nobis ſternet in magnam Urbem, & belli cataſtrophen. Sub prælo eſt Poëmatium. Mittam, ubi lentas typographorum operas effugerit. Heros Muydenſis diu cum podagricis doloribus conflictatus, jam cum pedibus in gratiam rediit. Ambulat mecum, ſed Vulcanio & ceſpitante gradu:

Veteris ſunt hae veſtigia recti.

Jam de bove cura eſt. Si me per hæc tempora inviſes, infarciam te farcimine optimi ſaporis, quod Veteres Aquæ, more annuo, miſere. Quia rerum novarum parcus es apud me depromptor, ego Te ſcire volo, inter Anglos & Scotos malè convenire ſuper militiæ rationibus. Montroſium novum colligere exercitum ac reditum minari: Scotos eam Anglicanarum Eccle-
ſia-

ſiarum formam urgere, qualis eſt ipſorum. Fuit hic per dies aliquot Director Cancellariæ Scoticæ Johannes Scotus-Tarvatius, vir eximiæ eruditionis, mei amantiſſimus. Regem amat & veneratur, non tamen partes Regis. Vale, & præſtantiſſimam conjugem, & cognatas ſaluta. Amſtelodami 10. Novemb. 1645.

G. BARLÆUS.

LXXXII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, Joachimus Vicofortius S. P. D.

NE qua de mea negligentia conquerendi cauſſam habeas, amiciſſime Barlæe, neſcire Te nolo, Caſtellum Moerſpuy nudiuſtertius, hoc eſt 14. hujus menſis die, ab obſeſſis deditum fuiſſe: ſic quidem ferente conjectura ex collo-

loquio die præcedenti inito. Virtute noſtrorum illuſa denuò fuerunt hoſtium vota, qui munitiſſimis operibus confiſi opem à Jove pluvio ſperabant. Ipſe Beckius non minoris momenti munimentum fuiſſe credidit quam ipſam Hulſtam; tum ob loci commoditatem, tum ob opera, ut dixi, fortiſſima, quibus ſeſe Hiſpani tueri potuiſſent, niſi ſibi ipſis defuiſſent. Eò tandem res ceciderat, ut niſi maturè de compoſitione cogitaſſent, extrema adhibita fuiſſe non ſit dubitandum. Patientiam exercitus juſto diutius exercuit defenſorum pertinacia; quæ à Poëta quodam incognito, ſed Tibi cognito hoſce ſequentes elicuit verſus: *******. Addidit Autor alios quoque, quorum copiam Tibi à me fieri petiit, ut ſua grandine Tua excitaret fulmina. Beabis me, ſi reſponſio per meas tranſierit manus. Vale & ſalve. Hagæ Comitis 16. Novembris, 1645.

Salveat, niſi grave eſt, plurimum, meis verbis & perofficiosè Nobiliſſimus Hoofdius cum conjuge, quod officium, ſi placet, meo & uxoris nomine præſtabis.

LXXXIII.

LXXXIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro D. Gaſparo Barlæo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

DE Poëmatibus Tuis, quæ tam liberali contuliſti manu, maximas Tibi ago gratias. Debitorem me jam multis modis agnoſco Tuum, nec video quomodo me exſolvam, niſi ipſe retribuendi opportunitatem mihi obtrudas. quæ ad Dominum Zulichemium mittis, curabo per Brunonem, ut petiiſti: ſed cum Princeps Bredam profectus ſit, & intra paucos dies hic exſpectetur, è re erit exemplaria illa ſervari in adventum Domini Hugenii. Non rectè iis adjunxiſti illa, quæ Comiti Mauritio tradi cupis, cum Trajectum ad Moſam conceſſerit cum Equitatu. Tribunus Terentius ſub præfectura ſua accepit Caſtellum Moerſpuy, quod culinæ non faciet præ-

præjudicium. Vale, Vir Ampliſſime, cum tota familia, & me amare perge. Hagæ Comitis 22. Novembris, 1645. inter tinnitus & ſonitus.

Neſcio an inaudieris Marpurgum ab Haſſiaco milite fuiſſe interceptam, & Electorem Brandeburgicum Neoburgi Ducem bello minitari.

J. VICOFORTIUS.

LXXXIV.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

NObiliſsime Vir,

Dudum inter funera & mortes amicorum, vel auditas vel ſcriptas, vel viſas verſatus fui. Apud vos Conſtantia deſiit in humanis ſtare, magno matris optimæ dolore. Hic deſiit ſcribere

ſcriptor

ſcriptor publicus Sinapius, cujus morientis & lenta tabe deficientis ſpectator fui. Leydæ Cl. Profeſſor & Theologus ivit viâ Patrum, ut cum Scriptura de Theologo loquar, cui nænias & leſſos ſcripſere plurimi. Tu volentem ſcribere hortaris, & merito. Nam & vivum ſemper coluiſti ob eruditionem & optimam indolem, & in Filio inter alias paternas virtutes invenis affectum, quo & Te & me complectitur. Scripſi Elegiam hanc, qua ſumma ſequor faſtigia laudum. Eam ſi tradere dignaberis Heenvlietæ Domino, perges pro more tuo novis me tibi nominibus alligare. Elegiam ut & Epiſtolam apertas mitto, ut legas, & ſi minus probes, cenſura tua confodias. Si venia dignos verſiculos judicas, potero inſeri turbæ Poëtarum, & inter appendices Orationis Spanhæmianæ legi. Hîc urbi imperantium alia jam facies eſt, de qua non judico de hyemis facie auſim dicere ſententiam. A rara Planetarum coitione hic rigor. deſæviit Saturnus. exſpecto, ut lætiores Orbi dies dent Jupiter, Apollo & Cypria. Mars caſtris annuat & Auriaco. Mercurius tibi, cui loquendum

dum ſæpe pro Principe tua eſt. Vale, amiciſſime, & conjugem, cognatas a me cumula optimis votis. Amſtelod. ipſis Cal. Mart. 1646.

LXXXV.

J. VICOFORTIO G. BARLÆUS.

NObiliſſime Vicoforti,

Noli ægre ferre ſilentium. Eſſem loquax ſatis, ſi Te digna haberem quæ ſcriberem. Loquendum mihi indies de Angelis cum Metaphyſicis, de virtute cum Ethicis. Cum Angelos cogito, aulæ & aulicorum omnium obliviſcor. Illi liberrime agunt, hi ab hominum nutu & gratia toti dependent. Illi carnem & oſſa non habent, habent aulici mecum. Illi nec uxoribus quidquam debent, nec fruges comedunt, nec libant munera Bacchi: hi iſtis adminiculis ad honeſtam voluptatem egent. Etiam virtutis conſideratio docentem me occupat,

quæ

quæ quamvis ab aulis non exulat, tamen poſt Regum & Principum commoda ſtat. Satius putant fractum illabi Orbem, quam non poſſideri duos. Vocabulum Pacis dudum delicias fecit auribus, ſed rem deſidero. Quamdiu ab armis non impetratur ceſſatio, bellum in ſinu geritur: Non à ratione controverſiæ Europæ ſuſpenduntur, ſed à fortunæ ludibriis modo huic, modo illi faventis. Illud gratum fuit ex Monaſterienſibus litteris ad me ſcriptis intellexiſſe: pro explorato haberi Gallos una nobiſcum non ſimulate, ut pleriſque in Hollandia viſum eſt, ſed ſinceris & communibus votis pacem poſcere, cujus ſententiæ meæ rationes in proximis litteris meis facile deprehendes. Legi illa quæ ad Vogelarium ſcripſiſti de rebus publicis: de Luſitanis, Hiſpanienſium Legatorum querelis ſuper mora noſtrorum, de ſtatu Braſiliæ Belgicæ, de nuptiis Brandeburgicis: quædam placent, quædam diſplicent. Ego nuptiis D. Gravii interfui, ſed accubui velut viduatus compare turtur. Viduis ad faſtidium gravibus oppo-

K ſui

ſui gravitatem meam Zenoniam, & tangere illas detrectavi, quæ tangi à philoſophis nolunt. Non ſum ex Pithagoreis, qui à carnibus abhorrebant, ſed Ariſtippi ſectæ. Quod malim credere Te, quam viduis iſtis, quibus grande ſupercilium, probare. De his tecum jocari amem, quam meditari verba apud matres Gracchorum. Vale, amiciſſime, & Dominum Zulichemium, Braſettum, alioſque ſaluta. Amſtelodami, 25. Novembris 1646.

G. BARLÆUS.

LXXXVI.

LXXXVI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo, Amico multis nominibus mihi conjunctiſſimo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

EXemplar Hiſtoriæ, quod miſiſti, auguſtioris formæ, ſtatim ut accepi, tradidi Illuſtriſſimo Domino Legato unà cùm elegantiſſimis verſibus, pro quibus omnibus maximas Tibi gratias per me perſcribi voluit, Tibique ſignificari leve, quod dedit munus, ſecutum iri luculentiore dono Regio. Ampliſſimus Bickerus ex Zelandia redux nihil attulit, quod Batavorum ſententiæ ſuffragetur. Audivi ex Amico quodam Mattiacos decreviſſe: ſe nullo modo diſceſſuros à fœdere Gallico: Subſidia Gallorum acceptanda eſſe: Rempublicam in omnem eventum oportere paratam eſſe, præcipuè ob armorum vim, quæ undequa-

que finibus Provinciarum appropinquatura videtur: Non concludendam pacem niſi communi cum Gallis conſilio & conſenſu. Sereniſſimus Brandeburgicus Elector hic exſpectatur intra paucos dies unà cum Illuſtriſſimo Comite Mauritio. Plura ad Te ſcribere per temporis anguſtiam non licet. Vale, Vir amiciſſime, & me amare perge. Prid. Cal. Maii, 1647.

LXXXVII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino Gaſparo Barlæo Amicorum intimo, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

MAximo cum dolore Te adverſa conflictatum valetudine intellexi, ſed majori cum admiratione eam ex dolore, id eſt, ex animi infirmitate fuiſſe profectam. Inhumanum quidem eſt non adfici morte illius, quo cum conjunctiſſimè & familiariter vixeris, ſed neſcio an humanum ſit nimis dolere ereptum

aim-

amicum, qui tot alios poſt ſe Tibi reliquit. Scimus hominem fuiſſe & nihil humani ab ipſo alienum, ſcimus ſenem fuiſſe, & non potuiſſe non res humanas & amicorum conſuetudinem relinquere. Cum Illuſtriſſimum Dominum Comitem de Servient ægritudinis Tuæ certiorem facerem, miratus fuit illam potuiſſe cadere, non dicam in Philoſophum, ſed & in Barlæum. Heri rogabat an meliuſculè haberes & bono animo eſſe juſſit. Quod Te facturum ſpero in gratiam tanti amici & conſolationem Tuorum pignorum. Diſceſſit hinc heri Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, unà cum Electrice & Comite Mauritio. Tres Ordinum Deputati Noviomagum uſque comitantur, ut ſumptus faciant itineris per Provincias. Cum Swerinio, Cleytio aliiſque intimæ admiſſionis Miniſtris ſermo fuit, de dono quod Tibi promiſſum fuit, ſed nolui nimia importunitate urgere ultro ſe offerentes & parcius proviſos. Illuſtriſſimus Dominus Comes Mauritius ſe memorem fore Cliviæ in ſe recepit. De publicis impræſentiarum nihil ſcribam, cum Hollandiæ Ordines in Conſeſſu adhuc nihil retulerint, quod

rei cardinem ſpectat. De Anglia multa narrrantur, quibus fidem adhibere non poſſum. Princeps exſpectatur in craſtinum. Pacis negotium frigere videtur à partibus Hiſpanorum. Interea quamplurimi hic in ſinu gaudent ob illorum ſucceſſus in Flandria. Qui halecum piſcatione victitant, conqueruntur de deſtitutione navium bellicarum, quæ claſſem concomitari ſolent; nec ſolatium habent ant excuſationem quam à nummorum penuria, cui mederi poſſet dimiſſione copiarum, quæ hactenus ex Gallicis ſubſidiis ſtipendia acceperunt, ſed fortè verentur ne illæ ad Gallum tranſeant & Hiſpanis noceant, quod cavere ſtudent. Te, amiciſſime Vir, quam optimè valere exanimo voveo. Dabam Hagæ Comitis 6. Junii 1647.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

AMicorum optime,

Quod promiſſis non ſteterim, cauſſæ fuerunt multiplices; quarum illa præcipua, quod litteræ ſerius mihi fuerint traditæ. Nova, quæ adtulerunt, ferè ſunt, quæ continentur hiſce adjunctis ad Clariſſimum Kinſchotium. Pleraque ſunt incerta; cum viæ undequaque ſint interclusæ. Neque iſta de Ulma & Noriberga obſeſſis pro veris adfirmare auderem. Pro indubitato ad me ſcribit amicus quidam, Bannierum cum copiis adventaſſe prope Culmbachium, quod eſt Marchionis Brandeburgenſis oppidum, ut in Franconiam properaret, conjuncturus ſeſe cum Duce Vinarienſi Guillelmo & Melandro Haſſiacorom & Luneburgiacorum Ductore. Plura per temporis anguſtiam non licet, ab uxore ad prandium citato. Vale, ami-

ciſſime Compater, & Tuam ſaluta. Raptiſſimè domi meæ 30. Septemb.

T. A.

J. VICOFORTIUS.

LXXXIX.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Viro Ampliſſimo ac multis nominibus mihi Cariſſimo D. GASPARO BARLÆO, Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

MAgna cum voluptate, Vir amiciſſime, litteras Tuas accepi, ſed majore illas legi; quod veterem amici ſpirabant adfectum; & priſtinam redolebant ſtyli ſuavitatem. Si Tyrannum iſtum, qui jam menſes aliquot Te domuit, denuo ſub jugum mittas; nebuloſus ille & maleſanus aër, qui arcem corporis infeſtavit hactenus, minimo negotio diſcutietur, & redibit Tecum in gratiam ſerenior illa mens, qua ami-

amicis toties vel bilem rebus ſecundis moviſti, vel triſtibus ſolatus es, vel Principum & Illuſtrium Virorum res præclarè geſtas aut virtutes divinis verſibus decantaſti. Ne credas Tui oblitum fore, ubi ratio habebitur illorum, qui Principi defuncto piis laboribus parentarunt. Iniuſtiſſimum enim foret, quæ perſolviſti manibus Patris juſta à Filio non agnoſci. Locutus ſum hac de re Viris Tibi amiciſſimis Zulechemio & Heilerſichio, qui mecum judicant æquiſſimum eſſe, ut nomen tuum inter primos ponatur, qui præmium à Celſitudine ſua exſpectant. Pacem præ foribus eſſe pauci ſunt, qui non credant. Sed an Jani fores tam citò claudentur, quam Batavi noſtri exoptant, eſt quod dubitem. Antequam enim huc uſque perventum erit, oportet cæteris Provincialibus ſatisfieri, oportet etiam Gallis. Eſt Batavis adhuc controverſia cum Zelandis, hoc eſt cum Inſularibus propoſiti tenacibus, ſuper juriſdictione ſuprema circa Sacra in Tractu Sylvæducenſi aliiſque, quam *Zelandi* prolixo probare nituntur ſcripto Regi Hiſpaniarum competiiſſe, ſerioque contendunt verba illa circa Sa-

cra non omitti debere in formula conceſſionis abſoluti dominii. Ubi diſſenſio illa ſopita erit, excipiet fortè illam alia non minoris momenti; an ſcilicet pacem Ordinibus cum Hiſpano inire liceat abſque Rege Galliarum, nulla habita fœderis, nulla beneficiorum aceptorum ratione. Jam pridem decretum eſt ſolemnibus votis, bellum continuandum, ſi Hiſpanus tergiverſetur, nec Gallo promiſſis ſtet, aut iniquiſſimum ſe gerat in iis, quæ nondum ſunt compoſita: concludendam verò pacem, ſi Gallus moras nectat. Sed tunc orietur quæſtio, an Plenipotentiariis Belgis conveniat de tergiverſatione unius aut alterius partis ſententiam dicere; & interea, dum ubique diffiditur, ſucceſſus armorum fortaſſis faciet controverſiarum judices illos, quibus Mars favet. Neapolitani motus felicis Campaniæ infeliciſſimam Urbem reddent: nec mirarer, ſi Hiſpani rerum ſuarum deſperatione commoti incendio tandem conentur efficere, quod aperto Marte non poſſunt. Diceres ſeditionum feracius ævum non fuiſſe quam noſtrum. Hiſpaniæ Regis ſortem non

tam

tam doleo quam Angliæ. Quid Luſitano fiet poſt conditam pacem θεῶν ἐν γȣ́νασι κεῖτον. Te quam proſperè agere & valere animitus voveo. Dabam Hagæ Comitis 12. Novembris, 1647.

X C.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Viro Ampliſſimo multiſque nominibus mihi Cariſſimo Domino Gaſparo Barlæo, J. Vicofortius S. P. D.

ELegantiſſima Tua carmina de Nebulis, quæ non per mentis nebulas, ſed animo deducta Sereno provenere, ingenti cum lætitia legi, quod certiorem me faciunt non ſanitatem tantum, ſed & Muſas ipſas Tecum in gratiam rediiſſe. Poſtquam Apollini litatum eſt, etiam Gallum Æſculapio debes. Hoc ſi facere apud nos velis feriis proximis, eris acceptiſſimus hoſpes: dabimus operam, ut ſi quid

nebulæ aut atræ caliginis menti ſuperſit, id Liberi Patris rore atque Amicorum jucundis colloquiis diſcutiatur. Vale, amiciſſime, & cum Tuis omnibus plurimum ſalve. Dabam Hagæ Comitis 20. Decembris, 1647.

XCI.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Amiciſſimo Clariſſimoque Viro D. GASPARO BARLÆO, *Joachimus Vicofortius S. P. D.*

QUæ elegantiſſima ad me epiſtola perſcribere voluiſti, ea Graſwinkelius noſter etiam coram repetiit. Jucundiſſima fuit utriuſque narratio, ſed jucundiſſimi imprimis verſus ab utroque ſexu compoſiti. Teſſela licet ægra & febricitans carmine ſuo fidem facit ingenium illius non febricitare, nec venam penitus eſſe arefactam. Aveo videre, quid Zulichemi Dominus reponet ad criminationes Satrapæ, imo ad aculeos degeneris cujuſdam incolæ, in Te & Hugenium re-

retortos. Si qua Tu reſponſo vel caſtigatione dignos judices, fac quæſo elegantiarum Tuarum compos fiam. Scripſit ad me Illuſtris Beringamus verſus Tuos ſummopere placuiſſe Eminentiſſimo Cardinali, ipſumque Autorem magni facere. Quam vellem à Muſa Tua aliquid impetrari poſſe, quod ad gloriam decuſque maximi viri faceret! Poëmation Tuum in reditum Comitis Mauritii impatienter exſpecto. Croſecquius noſter abiit ad Friſios Orientales, ut diſſidio, quod nobis eſt cum Comite, componendo interſit. Jam Ordinum Ablegati quatuor in procinctu ſunt, ut iter illud quoque ſuſcipiant, & arbitrum officio fungantur. Eſſet è Republica, & quidem è cauſſa communi, ut concordiæ via inveniri poſſit, dum Andegavenſis Dux in Rheni ripa ſucceſſus urget. Nam compoſito negotio Haſſiacæ copiæ illicò movebunt, ut citra fluvium Cæſareanorum vires auxiliares divertere poſſint. Quæcumque in Caſtris ad Gandavi cataractum geruntur pagina adjuncta indicabit. Multi ſunt qui ſperant repentinam deditionem Neſcio quid credam de obſidione Philipsburgenſi, cum expeditio ſit periculoſæ

plena aleæ, propterea quod non ſolum locus optimè ſit munitus rebuſque neceſſariis inſtructus, ſed etiam commeatus & pabuli inopia in circumjacente regione. Adde quod Bavariæ Dux imo Hiſpani omnem lapidem movebunt, ut ſuppetias obſeſſis ferant. Filia Tua Anna non putavit Te ægrè ferre diutinam manſionem, cum nullum ad litteras ſuas acceperit reſponſum. Nunc ſerio domum cogitat, imo abſque morâ in viam ſe daret, niſi plurimis precibus ſollicitata ab hoſpitibus ob ſolemnia convivia diſceſſum rejicere coacta eſſet in Mercurii vel Jovis diem proximum, quando filii filiæque D. à Stryen illam Lugdunum uſque concomitabuntur. Vale, amiciſſime Vir, & ſalve plurimum ab uxore cognatiſque ut & à D. Graſwinkelio. Dabam Hagæ Comitis.

CXI.

XCII.

G. BARLÆO J. VICOFORTIUS.

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Domino GASPARO BARLÆO; Joachimus Vicofortius S. P. D.

Amſtelodamum.

HAbes, Amiciſſime Vir, Apologiam Domini Zulichemii Nobiliſſimo Hoofdio inſcriptam, ſed ad Te non minus attinentem. Scribit ſe Peripateticum egiſſe, nec ſediſſe prius, niſi abſolutis verſibus, quod fortaſſe juſtiſſimo vindictæ ardori attribuendum, ob acceptas criminationes à tot accuſatoribus. Errat in eo, quod pro ſumma voluptate habet querelas & offenſas Dominæ Satrapæ placare oſculo, cum illa nunquam ſine aliqua oris dedignatione illud admittet, oblata ſaltem regione auriculæ. Aulici ut ſcis non minus quam Tu, Amiciſſime, ejuſmodi ſalutationes reſpuunt, præſertim illi, qui propria rerum vocabula ſervare, quam Stoicos

Stoicos & adfectatos modeſtiæ mores introducere ſtudent. De Saſſi munimento nihil ſcribit, niſi præſidium conſtare novemdecim centuriis militum: Mandata Hiſpaniæ Regis reſerata in Dernemondæ, præſentibus Picolominæo & Marchione de Caſtel Rodrigo, & Franciſcum de Melo poſtea abiturum: Gallos ſtare in ſententia de munienda Abbatia Wattenſi operibuſque deſtinata ſexcenta florenorum millia. Tanti momenti locus eſſe creditur ob ſitus commoditatem, ut non minus damni hinc hoſtibus inferri poterit, quam ex Audomarenſi oppido vel Grevelinga. Sed quid judicas, mi Barlæe, de ſucceſſibus Gallorum in Germania? Hoſtes poſt tridui conflictum campis exuere, & intra menſis ſpatium tot Urbes munitiſſimas & vaſtas ad obſequium reducere, ſunt facta, quæ antiquorum gloriam & noſtri ævi obſcurant. Non putas Hiſpanorum res eò redactas, ut quovis modo pacem potius quærere, quam incertæ belli aleæ fortunam omnem committere debeant? Si Frankenthaliâ ſemel extruſi fuerint, vix ſperare auderem de repetundo aliquo in Germania dominio. Hanc ob cauſam

forte

fortè Trevirorum Urbi muniendæ omnem operam impendent, jamque Leodio Vander Burchius mihi per litteras ſignificavit Lotharingiæ Ducem cum copiis Moſellam verſus tendere vel de hybernis ſollicitum, vel Hiſpanis laborantibus opem laturum. Si noſtræ jam intempeſtivis non detinerentur litibus in Friſia Orientali, quam egregiam agendi occaſionem nactæ forent? Ordinum Ablegatos veniſſe Embdam, & in eo fuiſſe, ut conſentientibus utrinque partibus de loco & tempore colloquendi convenirent, ante paucos dies perſcripſit Nobiliſſimus Groſiccius. Videbimus porrò quid ſperandum erit de compoſitione. Affecit me plurimum luctus Nobiliſſimi Schonkii. Invitatus ſum ad exequias, & parebo lubens meritoque, niſi Gallicæ litteræ aliquid adportent quod impediat, quod ipſi Domino Schonkio perſcribam. Vale, amiciſſime Vir, & me Tui amantiſſimum amare perge. Hagæ Comitis.

VI.

XCIII.

In Orationum ſuarum librum.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, prudentiſſimoque Viro,

D. JOACHIMO VICOFORTIO,

ORDINIS S. MICHAELIS

EQUITI,

Et Sereniſſimæ Haſſiæ Landgraviæ à Conſiliis, &c.

LOquimur mortales, præſtantiſſime Vicoforti, quod nec Angelis conceſſum, nec Brutis. Non illis, quia per diſciplinam & voces, diſcere eos non eſt neceſſe, quæ natura

ra perſpecta habent & congenita. Non his, ob rationis defectum, cujus oratio eſt interpres. Nec loquimur ſolum; verum ita quiſque loqui amat, ut perſuadeat. Ideoque artem adhibet, ut velut lenocinio quodam orationis impetret, quod intendit maxime. Tenella & puerilis ætas ſubſidii & ſolatii indiga, voce ad ploratum compoſita, vel ipſam novercæ iram expugnat, ut acquirat quod dentibus immolet. Amantes leni ac popyſmis ſuis blandiente oratione, amaſiæ pertinaciam frangunt. Iratus concitatius loquitur, ut terreat; timenti remiſſa & tremula vox eſt, ut evadat; mœſto, languida & flacceſcens, ut miſereamur; gaudenti comis & hilaris, ut oblectet. Ita quisque ſibi & Rhetor eſt & Orator; eamque elocutionem comminiſcitur, quam perſuadendis movendiſque aliis optimam novit. Quin ſchemata ſua ſingulis & loquendi formas, etiam indoctis, ſuus dictat affectus & vehemens intentio. Medea, Rhetorices, ut opinor, neſcia, dum vehementer quid cupit,

cupit, Epizeuxin facit. *Da, da*, (inquit) *per auras curribus patris vehi.* Dido, iracunda & commotior ἀντίθετα (*oppoſita*) loquitur, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.* Penelope ob mariti abſentiam dolens εὐχὴν (*votum*) format: *O utinam tunc cum Lacedæmona, &c.* Paſtoribus apud Maronem modo Apoſiopeſin imperat indignatio, *Novimus & qui te*: modo obliquam Interrogationem vehementius aſſeverandi ſtudium, *Non ego te vidi Damonis, &c.* Ut Rhetoricæ regulas non neceſſe ſit ab Hermagora, aut Molone, aut Siculis petere, cum cuique noſtrum eas dictent animi impetus & ſtudia. Quod ſi verum eſt, quid mirum, Græcos, gentem acutam & controverſam valde, in hoc annixos fuiſſe, ut cum rei bellicæ ſtudiis dicendi exercitationem, cum caſſide linguæ, cum oleæ præmiis facundiæ laudem gloriamque conjunxerint, tunc maxime, cum regna urbesque per eloquentiam potius, quam armorum vim expugnandæ eſſent. Quis Mercurius ille λόγιος (*Interpres*

terpres) ſive Hermes fuit? me judice, orator exercitatiſſimus fuit, ob facundiam pro numine habitus. Quales Neſtor, Menelaus, Ulyſſes? oratores Græci fuere, in quorum verbis vis ἑλκυστικὴ (*tractoria*) fuit & facultas ducendi homines, quo vellent. Et expediebat ſane tales ad Trojam mitti, cum, non claſſibus ſolum & flammis, ſed tropis quoque & ſchematibus, vincendi eſſent rudiores Aſiatici. Graviter & prudenter locutus eſt Solon, oratorum Athenienſium fere primus, ut Piſiſtrato imperium affectanti reſiſteret. Contra ſuavis fuit Piſiſtrato & flexanima dictio, ut populi animos deliniret & regno potiretur. Ariſtoteles incredibili tum dicendi copia, tum etiam ſuavitate apud Alexandrum effecit, ut totam Græciam adminiſtram habuerit in ſcribenda Animalium hiſtoria. Demoſthenes ad ἄνδρας ἀθηναίους (*viros Athenienſes*) loquens Philippum Græcia arcuit, donec ab Harpalo corruptus argentangina laborare cœpit. Tantum potuit Atticiſmis ſuis Demades, apud eundem regem, ut non ſeipſum tantum,

tum, ſed & bis mille Athenienſes prælio ad Chæroneam captos gratis rex remiſerit. Dum bellis aſſerenda fuit Græcia, prolatandi fines, arcendi Macedones & Perſæ, viguere oratores maximi. Scilicet, dicendi ſplendide, graviter, acriter & acute neceſſitatem ipſis impoſuit, defendendi imperii neceſſitas. Quamobrem captis à Sylla Athenis, languit Atticorum Suada, & fatiſcente Cecropidarum gloria, elanguit dicendi facultas, dejecta ſimul ſceptri & linguæ, armorum & oratorum majeſtate, fulgore, impetu. A Græcis loqui diſertius didicere Romani, ſive ad bella inflammandi eſſent civium animi, ſive componendæ ſeditiones, ſive exigendus urbe conjuratorum princeps, ſive objiciendus publicæ infamiæ futurus Triumvir, ſive Reipub. vindicanda ſalus, ſive perſuadendum aliud quid, cujus Romani Imperii intereſſet. Tunc magna C. Cethegi, Catonis Cenſorii, Scipionis Africani minoris, Lælii & Servii Galbæ fama fuit. Licet alium dicendi vis, alium majeſtas, alium elegantia, alium

lenitas

lenitas Græcanicæ ſimilis erexerit. Quos ſecuti ſunt, Cæſar Dictator & Cicero, Bruti quidem teſtimonio fractus & elumbis, Calvi ſolutus & enervis, ſed plurium & ſequentium omnium ſeculorum, eloquentiæ Romanæ facile Princeps. Omnibus hoc ſtudium fuit, ut docerent, delectarent, moverent. Quæ tria non æque ab omnibus præſtita, nec ſingulis omnem laudem, nec nullam conceſſere. Et quanquam poſt Tullium exſtiterint Viri diſertiſſimi, tamen inde à Symmachi temporibus, deficiente & vergente in pejus Romano Imperio, minus glorioſe & pugnavere & peroravere Quirites, ut neſciam, an armorum ſucceſſus eloquentiam, an hæc armorum audaciam fiduciamque magis erexerit. Hoc omni ſeculo compertum, apud eruditos populos, animoſius inter bellorum furores & tubarum ſtrepitus pro aris & focis declamaſſe oratores, ſive in hoſtem vibranda eſſet oratio, ſive de victo hoſte triumphandum.

Quo nos ævo vivimus, ampliſſime Vicoforti, etiam loquimur mortales, & loqui conamur, ut perſuadeamus.

Et

Et inter patriæ bella ſecuri peroramus. Verum uti infantes paternas maternasque voces balbutientes imitantur, ita veterum Græcorum & Romanorum in dicendo imitatores ſumus, & umbræ, & priſcæ facundiæ abortus & ſimulachra. Cum diſerti quibuſdam videmur, loquaces ſumus, aut verboſi nimis & remiſſi; dum acumina affectamus, res magnas minutiſſimis & rancidis ſententiis frangimus, nec niſi fumos ex antiquitatis luce damus. Nec tamen ſilendum propterea poſteris, ſed loquendum quoque, ne linguam ferrugo occupet, aut ſilentiariis adſcribamur; præſertim titulo profeſſores, qui audiri ſe malunt non eloquentes, quam non loquentes. Maxime, cum quæ Veteres ad loquendum impulerunt cauſæ, etiam nos movere poſſint, nempe: hoſtium odia, victoriarum gloria, Principum felicitas & fortuna, quæſita in rebus humanis honeſta voluptas, & rei vel nullius, vel ſtupendæ exaggeratio. Me quod attinet, dum in illuſtri Amſtelodamenſium Gymnaſio inter Philoſophorum triſtes cathedras verſor, &
Thomæ,

Thomæ, Scoti, Cajetani, aliorumque ingenioſiſſima commenta, ſine Atticiſmis & Romanis leporibus, eloquor, voluptas ſubinde me cœpit, ad vetera litterarum ſtudia recurrendi, & deterſa Profeſſoriæ linguæ ſcabricie, eam affectandi dictionem, quæ Philoſophorum ſubſelliis minus eſt familiaris & conveniens. Volebam etiam ab ea urbe non exulare voces veteris Latii, in qua barbaras Perſarum, Arabum, Afrorum, Moſchorum indies audimus. Nec dixi ſine delectu. Cum primum Metropolin hanc ingreſſus eſſem, (annus jam eſt duodecimus) mercimoniis toto orbe celeberrimam, docui mercatores ſapienter & ex Stoicorum rigidis præceptis mercari, ea oratione, quæ Scholæ noſtræ inauguralis fuit, & *Mercator ſapiens* inſcribitur. Cum de Machiavello apud viros maximos & politicos incidiſſet ſermo, & de nefario ſcriptore benignius quidam ſentirent, dixi de *Bono Principe*, & oſtendi, non indicari ab illo, quis Principum vivendi mos ſit, ſed quid Principem facere oporteat, non hiſtorici illum & narratoris, ſed præceptoris & ſuaſoris partibus fungi. Cumque inter Oratoris ſcopos ſit delectatio, dixi alibi de *Ente rationis*, hic de

Ente Reali, ſive Re, eo dicendi genere, quod nequaquam Catoni Frontem corrugare poſſit & ſuparcilium adducere faſtidioſo auditori. Eſt ea hominum, mi Vicoforti, conditio, ut θαυματοποιΐας (*miracula*) ament, & quidquid admirandum, ſuſpiciant & venerentur. Quare fuit, cum de *Animæ & Cœli admirandis* verba feci, ne ſemper trita loquendo, ſomnolentos adſpectarem auditores. Nec ignoras, inter tympana & tubas, claſſes & claſſica Batavos vivere, & Hiſpanorum metuendam fortunam aſſiduis bellis fatigare, victoriis terra marique partis claros. His excitatus, in *Panegyricos* digreſſus fui, nec ſuaſoriis contentus laudavi Auriacos, Fæderati Belgii Patres, Remp. florentiſſimam, quæ pacatis domi rebus, profligata tyrannide, domito Oriente, attrito Occidente, quicquid Univerſi terminis capitur, nominis ſui & rerum geſtarum fama implevit. Denique cum à rebus divinis minime alienam eſſe facundiam, grandibus exemplis oſtenderint priſcæ Eccleſiæ lumina, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius & Hieronymus, aliique facundiſſimi Scriptores Græci ac Latini, conatus fui de *Præſepi* Servatoris Chriſti & *Cruce* ejus co-

copioſius & ornatius loqui, ne ingrati arguamur in illum, à quo omnis hæc dicendi facultas profecta eſt.

Tibi, Nobiliſſime Vir, hoc Orationum Mearum Opuſculum inſcribo, non uno nomine. Primum eſt, quod his ipſis ſtudiis, quibus ad humanitatem & elegantiam omnem informamur, jam inde à teneris imbutus ſis, & facundiam tuam, ſi non in Scholis declamando, in Aulis apud Principes & terrarum Rectores, ſcribendo prolixe explices. Alterum eſt, quod recitantem hæc ipſa me ſæpius audiveris, ut monere jam neceſſe habeam, recitatæ orationis vim majorem eſſe, quam ſcriptæ: cum illam dicentis affectus accendat, acuat, attollat, hæc vero, dum motus animi abeſt, flacceſcat lecta. Tertium eſt, ſanctum illud & venerabile amicitiæ nomen, quam tecum, ex quo pedem in Urbem hanc intuli, perpetuam colui, & conſervavi. Dicam ingenue. Multa hujus civitatis decora ſunt, quæ me afficere ſolent, ædium undiquaque conſpectus pulcherrimus, ſtupenda Martis robora, claſſes & armamentaria, mercatorum frequentia, comitas, ſolertia, peregre advenientium, etiam

ex alio oi bel, mores; lingua, vultuſque diverſiſſimi, mercium receptacula, quibus aëris, terræ, aquarum ſpolia aſſervantur, templa, turres & ſublimes paſſim Phari. Verum oculorum hæc ſolummodo oblectamenta ſunt & pabula, quibus prætuli ſemper amicorum aliquot ſuaviſſimam conſuetudinem, quæ mihi in agris pro vehiculo eſt, in urbe pro delitiis, in conviviis pro nectare, in funeribus pro ſolatio, in cymbulis & aquis pro Sirenibus, in ambulacris & porticibus pro pictis tabellis. Inter hos familiam & agmen Te duxiſſe non dubitas, vel cum illorum invidia, qui & Te & me amant tenerrime: nec enim dum Te totum occupabam & poſſidebam, aliorum æque eſſe poteras. Utique exoſculatus in Te fui virtutes ſummas, doctrinam, antiquitatis Græcæ & Romanæ curam ſtudiumque, comitatem, candorem, fidem, quibus me, ceu compedibus & numellis ita N. T. devinxiſti, ut jam avelli, niſi fato poſſim. Et cum nominis tui gratiam late foris, cum litteris officiiſque publicis privatiſque, diffuderis & diffundas indies, etiam me hic illic, velut incertam epiſtolam, aulis intuliſti, & eorum favore to-

tum

tum involviſti, quibus mihi male velle, religio eſt. Hæc teſtatus apud alios fui ſæpius, jam teſtor publice, hac nominis Tui Inſcriptione quam præ ſe fert libellus noſter, quo cultam hactenus, & gliſcentem aſſiduis incrementis, amicitiam Tibi oppignero. Eam æternam faxit, Te vero Tuosque hic ſoſpites, alibi beatos velit ipſa Æternitas. Amſtelodami 20. Junii, 1643.

Nobilitatis Tuæ

Cultor obſervantiſſimus

G. BARLÆUS.

FINIS.

ERRATA

Sic corrigenda.

PAg. 2. *l.* 8. delicatuli. *l.* 10. Aratri, ſed. *l.* 17. quid optet. *l.* 20. gaudeat. *p.* 3. *l.* 2. quid. *l.* 5. ingenuo. *l.* 6. nullo. *l.* 7. aperto. *l.* 11. ſtudioſiſſimus. *p.* 4. *l.* 4. Epiſtola, & ſimul. *l.* 16. & acutiſſimum. *l.* 25. 20. Junii. *p.* 5 *l.* 15. hoc. *p.* 8. *l.* 21. & dum. *p.* 13. *l.* 21. acquieſco. *p.* 16. *l.* 13. Vinarienſem. *l.* 21. puto. *p.* 18. *l.* 12. Henſchtum. *p.* 19. *l.* 24. ſita ſunt. *l.* 25. Vinarienſi. *p.* 20. *l.* 6. Proceres Germani. *l.* 10. 1634. *p.* 21. *l.* 14. fluxas. *l.* 19. domeſticus. *p.* 25. *l.* 23. Tibi fuit. *p.* 29. *l.* 4. elatior eſſe. *p.* 31. *l.* 21. Braſetto. *p.* 35. *l.* 20. levarer. *l.* 24. 1635. *p.* 37. l. 14. frueris. *p.* 40. *l.* 6. dele nuper. *p.* 41. *l.* 9. ærumnæ abunde. *p.* 42. *l.* 3. ſucciſi. *l.* 6. dele &. *l.* 14. licet cum. *l.* 17. inclinat. *l.* 24. ipſis. *l.* 28. apertum bellum, *p.* 43. *l.* 8. tanquam. *p.* 45. *l.* 14. in quos. *l.* 15. incumbet. *p.* 50. *l.* 8. quod. *p.* 53. *l.* 24. Centrum. *p.* 54. *l.* 14. quin. *p.* 55. *l.* 14. quem. *p.* 57. *l.* 11. vendicare. *p.* 59. *l.* 17. Viſmarium. *l.* 18. timenti. *p.* 64. *l.* 20. quaſdam. *p.* 65. *l.* 1. præter. *l.* 10. eventu. ubi fecerit. *p.* 70. *l.* 3. & ſinceri. *p.* 72. *l.* 13. brevi epigrammate. *l.* 20. celebrata. *p.* 74. *l.* 4. dele Amſtelodamum

mum. *p*.81. *l*.22. exemplar. *p*. 83. *l*. 22. factu.*p*.86.*l*.24. vertebatur.*p*. 87.*l*. 6. ſinant.*p*. 88.*l*.7.trades.*p*. 91.*l*. 2. Stellæ.*p*. 94.*l*. 21. dele uſque.*p*. 95.*l*. 17. dele me. *p*. 109.*l*.9. Sortis meæ.*p*. 110.*l*.7. jampridem.*p*. 111. *l*. 19. ſeriò. *l*. 26. Arienſis. *p*. 112. *l*.4.aperuiſſet.*p*. 121.*l*. 22. 27. Decemb, *p*. 150. *l*. 5, pernoctatura, *p*. 158. *l*, 5. moratus fueris. *p*. 163, *l*. 7. tutiora. *p*. 164, *l*. 28. 8. millia. *p*. 166. *l*. 14. Domino Paulo Wilhelmio. *p*.170. *l*. 15. ſint. *p*. 171. *l*. 8. Hinnulum. *p*. 177. *l*. 10. fidem. *p*. 179. *l*. 8. ſenties. *p* 180. *l*. 18. luctus. *p*. 185. *l*. 14. uti. *p*. 188. *l*. 4. viſa. *p*. 191. *l*. 14. conſtruxerant. *p*. 196. *l*, 3. non. *p*. 197. *l*. 11. negotii. *p*. 201. *l*. 7. non tantum non. *p*. 202. *l*. 1. nobiſcum.

Epiſtola XXXIII. debet inſeri inter Epiſtolas XXVII. & XXVIII,

Epiſtolæ XXXVI. & XXXIV. debent inſeri inter Epiſtolas XXIX. & XXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google